2

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

# DIÆTA PRINCIPUM

*Quam*,

AUSPICE DEO PROPITIO,

*Et Conſenſu atque Auctoritate Gratioſæ Facultatis Medicæ*

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

*PRÆSIDE*

DN. D. MICHAELE ALBERT

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARI
MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Præceptore ac Promotore ſuo omni honoris cultu proſequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGII
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVIII. D. NOVEMBR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI

SUBJICIET

RESPONDENS

OH. CHRISTOPHORUS MENTZEL

HIRSCHBERGA-SILESIUS.

HALÆ MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS.

# PROOEMIUM.

DE Perſonis in ſummo dignitatis, poteſtatis & authoritatis faſtigio & culmine conſtitutis atque coruſcantibus, dicit *Ahasv. Fritſchius in Principe peccante Concluſ. 12. p. 57. Princeps aliquis, cui in gubernatione reipub. tam multa videnda & audienda ſunt, totus debet eſſe oculus, totus auris: quod quia fieri non poteſt, alienis utatur neceſſe eſt;* quam adſertionem mox *p. 58.* aliquo exemplo probat, dum ait: *Memorabile eſt, quod de Imperatore Antonino Philoſopho legitur: ille Princeps ſemper inſignes viros a conſiliis habebat & ſi eorum ſententias ſua meliores eſſe animadverteret, lubens ſeſe illis accommodabat, dicebatque: ſatius eſt, ut ego tot taliumque amicorum ſequar conſilium, quam illi meum:* ita etiam de hoc Antonino teſtatur *Sabellicus de omnium gentium omniumque ſeculorum dictis & factis Lib. 4. exempl. 7. nihil vel in bellicis, vel*

*in civilibus negotiis agebat, de quo non prius conferret cum gravibus viris, dicens: æquius eſt, ut ego tot taliumque amicorum conſilium ſequar, quam ut tot talesque amici meam unius ſequantur voluntatem: multum abhorrens a quorundam ingenio, qui conſulto pileo ſuo dicunt: vos ſedulo conſulitis, ſed aliud mihi ſuadet pileus meus:* Quoniam itaque ſecundum *Tacitum Annal. 3. 69. 2. Princeps ſua ſcientia non omnia complecti poteſt*, ita ſummæ illius Perſonæ, gloriæ, ſanitati, vitæ, tranquillitati, regimini, felicitati &c. intereſt, quo aliquando ſapiens Princeps ſalutaria conſilia audiat, iisque annuat: neque tamen celsis ejusmodi Perſonis ſemper ſalutare eſt, ſi Miniſtri ad illarum nutum, gratiam, beneplacitum & voluntatem conſilia dirigunt & inſtruunt: quare *Ahasv. Fritſchius de peccatis miniſtrorum principis concluſ. 20. p. 61.* profitetur: *ejusmodi Miniſtrum obſequioſum Heliotropio ſimilem eſſe, ait D. Peller in politic. ſcelerat. c. 39. in hac enim herba tantus videtur eſſe Solis amor, ut cum ipſo circumagatur, & quocunque ſe verterit Sol, eodem flectat cacumen; noctu etiam tanquam deſiderio Solis contrahat florem: Sic miniſtri in omnibus ſe accommodant voluntati Principum, nil niſi ad gratiam loquentes: & quocunque illorum inclinat animus, eodem ipſorum quoque mentes inclinant atque propendent: Si Princeps vagam libidinem ſectatur, miniſter ejus flammam non extinguere, ſed incendere ſtudet; ſi voluptatibus diffluit, ipſe voluptates amat:* & ita etiam Medicus, qui miniſterium vitæ & ſanitatis naturalis gerit, adeoque miniſter naturæ Principis eſt, non per adulationem ſalutaria conſilia abſcondere & minus ſalubria ſuppeditare debet; ſic enim

*Ant.*

*Ant. Perez. in aphoriſm. n. 128.* eloquitur: *peſſimi ſane Medici ſunt, qui ut obſequantur ægro circa diætam diſpenſant:* contingit enim aliquando, ut Medici ad ſanitatis, vitæ & mortis celationem, falſam interpretationem, adulatoriam conniventiam & indulgentiam in conſilium vocentur, qui propterea peſſime conſiliis ſuis inclareſcunt: tale exemplum de *Tarquinii uxore ap. Dionyſ. Halicarn. Lib. 4. c. 6.* recenſetur: *ante omnia regis Tarquinii mortem occultemus, ſpargendo famam, nullum acceptum eſſe vulnus lethale; Medici quoque promittant, ſe intra paucos dies illum priſtinæ ſanitati reſtituturos.* Inter alia Principi ſumme neceſſaria conſilia illa ſunt, quæ integritatem vitæ ſpiritualis & naturalis promovent & confirmant, quam ob rem Medicorum peritæ & prudentes regulæ, conſultationes & admonitiones eximiam prærogativam tuentur: unde inter commoda & dona naturalia *bona valetudine nullum mihi videtur ornamentum & monile præſtantius*, dicente *Nicoſtrato ap. Stobæum Serm. 72.* hinc ſi Princeps omni Majeſtate, poteſtate, gloria & felicitate reliqua humana fulgens, ſano corpore deſtitutus eſt, majus inde calamitatis & afflictionis humanæ premit onus, ut propterea ſacræ tales Perſonæ ſacrum ſanitatis bonum & donum omnibus reliquis proſperitatis naturalis & humanæ ſpeciminibus anteferre debeant; nam ſi ſemel aurea ſanitas labefactata, enervata, turbata & amiſſa eſt, ſæpe tunc tanto difficilius reparari poteſt, quo ſublimioris ſortis & dignitatis illæ Perſonæ exiſtunt: immo ſi amiſſa ſanitas viribus & mediis naturalibus reſtitui haud poteſt, ipſa Majeſtas &

poteſtas temporalis in mentibus celſis evileſcit: hinc occupat animum veritas *Syracidis XL. 1 -- 4. negotium magnum creatum eſt omni homini & jugum grave ſuper filios Adam; a die exitus e ventre matris eorum, usque ad diem in Sepultura in matrem omnium: cogitationes eorum & timores cordis, ſollicitudo expectationis, dies mortis: a ſedente ſuper throno & usque ad humiliatum in terram & cinerem; a ferente hyacinthinum & coronam & usque ad circumindutum lino crudo:* quid itaque ſplendor majeſtaticus, quid opulentia, quid reliqua felicitas ſine ſanitate? nam qui infirmo corpore, debilibus viribus, fragili ſanitate, indeque afflicto animo regnare debet, illi honos principatus magis onus eſt; quam ob rem præter gratiam ſummi Imperatoris & Regis omnium Regum, ſub quo tota reliqua humana majeſtas & poteſtas poſita eſt, etiam ſanitati naturali conſervandæ, præſervandæ & confirmandæ ſollicita & conſtanti applicatione incumbere & ſtudere debent: tale exemplum de *Cyro* allegatur *ap. Xenophont. in inſtit. Cyril. Lib. 1. p. 30.* cujus verba ſunt: *primum operam do, ne unquam nimium me repleam, cum id gravare ſoleat: deinde quæ ingeſta ſunt, laborando digero; quare fieri equidem exiſtimo, ut & valetudine bona diutius utar, & robur etiam aliquod mihi accedat:* & quamvis *Suetonius lib. 3. c. 68.* de Tiberio referat, *quod valetudine proſperrima uſus fuerit, tempore quidem principatus pene toto, prope illæſa; quamvis a trigeſimo ætatis anno arbitratu eam ſuo regerit, ſine adjumento conſiliove medicorum;* tamen ab uno exemplo non valet inductio & concluſio: rectius itaque eſt, ſecundum hodiernas vivendi

ratio-

rationes & conſuetudines, imo *melius, in tempore occurrere, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere, L. 1. C. quando liceat unicuique*: quoniam itaque ſalus & firmitas ſanitatis commune bonum eſt, ita *Legislator commune bonum præferre debet privato. L. utilitas 3. C. de primipil. lib. 12.* ob id medica ſalutaria conſilia patienti auſcultatione admittenda ſunt: & quamvis divina ac cœleſtis directio atque benedictio ſæpe extraordinario modo illuſtres perſonas tueatur, tamen noſſe etiam convenit, quod homines ſint, adeoque cauſis naturalibus, morbis & morti obnoxiæ, hinc ſanitatis tutela indigent & poteſtate illa deſtitutæ ſunt, arcendi & abigendi efficaciam inimicam illarum cauſarum naturalium, quotidie accedentem, ob id juxta *Senecam in Hippolyto n. 248. Pars ſanitatis eſt, velle ſanari.* i. e. bonis conſiliis medicis opportune & convenienter attentas & obtemperantes præbere aures, quoniam Principum ſanitas & vita pretioſa omnique conſervatione digna: quare caſus conſcientiæ medicus eſt, quo media naturalia tuendi & conſervandi ſanitatem in Principibus indicentur & modo decenti commendentur ac ordinentur: hoc modo Principes perinde evadunt ſplendidum exemplum ſubditorum, juxta dictum *Velleji Paterculi L. 2. c. 126. facere recte cives ſuos, princeps optimus faciendo docet; cumque ſit imperio maximus, exemplo major eſt:* & tale illuſtre exemplum adauget Principi temporalem & æternam proſperitatem, Patriæ, imperio & regioni ſalutem, Medico omnibusque ingenuis ſubditis felicitatem & ſolatium: & hæc meditatio permovit nos,

quo

quo præſenti academico Inaugurali medico Specimine brevi diſquiſitione, de DIÆTA PRINCIPUM agamus: Annuat noſtris inſtitutis ſummum omnis benedictionis principium, ut ſalutaris ſucceſſus illa conſtanter comitetur, iisque gratioſum Principum nutum conciliet.

## §. I.

SAnitatis laudes inter alios *Socrates* apud *Platonem* in *Gorgia* extollit, quando dicit: *optimum omnium eſſe, proſperam habere valetudinem: agmen ducit ſanitas:* hinc *Xenophon in memorabilibus L. 4. p. 815.* teſtatur: *Socrates vehementer familiares ſuos hortabatur, ut valetudinis curam haberent, ac partim a peritis, quæ poſſunt, diſcerent, partim ſinguli per omnem vitam ſe ipſos obſervarent, quinam cibus, qui potus, qui labor eis conduceret & quo pacto his utendo quam optima valetudine frui poſſent:* ita etiam *Caſp. Rejeſius in Camp. Elyſ. qu. juc. Qu. 2. n. 9.* (quando encomia Medicinæ canit, hujusque prærogativam præ Jurisprudentia profert & acriter defendit) eloquitur: *Qui ſanitatem procurat, adauget, optimus erit & honorabilior: nam ſanitate nil melius eſſe, non Philoſophi tantum, ſed Poetæ etiam commendarunt: Horatius nil in hac vita melius ac commodius eſſe cecinit: Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibusque tuis, nil divitiæ poterunt regales addere majus: quid enim ſanitate præſtantius, aut quid absque illa optime facere poſſis? hanc nec cum omnibus Crœſi divitiis, aut auriferi Tagi arenis commutare jure poteris: Ita Thales Mileſius* quæſitus, qui in hoc mundo felix eſſet, re-

ſpon-

ſpondit, qui *corpore ſanus & animo ſapiens eſt:* hucquadrat etiam *Theoganes* effatum: *pulcherrima res eſt juſtitia, optima ſanitatem Suaviſſimam & deſideratiſſimam conſequi:* Dum tanta eſt Sanitatis celebritas, quis non eandem præcipue *Principibus* ſincero apprecetur animo, omnique conſilio commendet? *Leges ſunt ſacratiſſimæ & ab omnibus ſciri debent. L. leges ſacratiſſ. 9. C. de Legib.* Hæc itaque eſt lex naturæ, *ſervare*, *obſervare* & *conſervare* ſanitatem; ſub hac omnes ſtant homines; hac lege *obſtricti* etiam ſunt *Principes DEO* & *Naturæ*, unde Sanitas provenit: quare Medici, qui *Archiatri* audiunt, (i. e. ſecundum *Cujacium Lib. 10. Cod. tit. 52. de profeſſ. & medicis*, Principis Medici, vel juxta *Beroaldem in Comment. in Suet. c. 42. & Julium Alexandrium in Comment. in Lib. 1. Galeni de antid. c. 1.* primi medici, principales medici, vel ad mentem *Marſilii Cognati Lib. 2. c. 15. var. obſerv.* medici Principis favore evecti, ſecundum *Syrac. XXXVIII. 3. coram magnatibus admirationi erit.* conf. pl. de laudibus medici & medicinæ *Speneri Concion. funebr. XII. Part. Conc. 2. p. 27. ſeq.*) non quidem per modum rigoroſi & immodeſti *dictaminis*, nedum quidem incompetentis *mandati*, *Principibus ſalutaria* conſilia dant, ut adeo *Plinii* cavillatio *lib. 24. in proœm.* facile concidat, qua aſſerit, quod *una artium* (videlicet medicina) *imperatoribus imperet:* paulo modeſtius vero *Plato lib. 1. de republ.* profitetur: *in confeſſo eſt omnibus, verum Medicum corporum eſſe principem:* quam ob rem prudens Medicus haud imperantem, ſed *perſuadentem*, *admonentem*, hortantem, imo *rogantem* & flagitantem ſe præbet, quo Principes bona, utilia, & neceſſaria conſilia *tempeſtive* non in medici, ſed *ſui & ſubditorum* commodum amplectantur, nec *tamdiu* illa ſeponant, donec *commoditas temporis* aut *voluntatis* illa admiſerit; ubi Principes etiam noſſe deberent, quod nullum *abſolutum* jus habeant in *cauſas naturales*, in quantum hæc *cor-*



*pus*

*pus offendere* & lædere poſſunt, ſed quod hoc reſpectu ipſi Principes *illarum* cauſarum *ſubditi* ſint: itaque ſecundum *Platonem Lib. 1. de Legibus Medicus primum doceat ac perſuadeat, quid ſit ægro faciendum & non prius imperet, ita promptius parebit: & Septalius in animadverſ. & caut. lib. 1. §. 8. dicit: Medicus recte ſciat perſuadere*: Multum itaque refert, quo Medicus *prudenter*, *graviter* & *reverenter* ſalubria conſilia Principibus proponat, commendet, *mature* indicet & ut tempeſtive adhibeantur, ſignificet; & ſi *odia reſtringenda ſunt, favores vero ampliandi Cap. odia 15. de R. J. in 6.* ita *favorabile* eſt, ſi *tempeſtive* periculum ſanitatis a Principe *avertitur*, ſi vires conſervantur & *ſublevantur*, ſi *ordo* in *vitali* œconomia *promovetur*: hinc *favorabilia* conſilia *plus una vice* citra impatientiam proferenda & commendanda ſunt; ſi tunc ille, cui intereſt bonis votis & conſiliis annuere haud auſcultaverit, tunc ipſius ſanitas & vita *periculo* ſubjicitur & qui mature de *imminente* periculo admonitus, non obtemperaverit, DEO reddat rationem, ſi ſub periculo *ſuccumbit*, nam medicus *monitor* ſervat & *liberat* ſuam animam & *parva ſæpe ſcintilla contempta*, quæ *magnum excitavit incendium*, dixit *Curtius lib. 6.* & ſi ignis in flammeis quibusdam naturis flagrat, quis poterit illum facile & ſubito extinguere? *Principibus* enim & *Archiatris* dictum eſt illud *Galeni lib. de ſangu. miſſ. c. 7. recte quidem & ab Hippocrate dictum eſt, quod illa, quæ præſentibus morbis faceremus, ea multo utilius ac melius ipſis incipientibus, aut imminentibus antevertendo faciamus*: hoc advertens quidam apud *Anton. Meliſſ. P. 1. Serm. 56.* dixit: *majorem gratiam merentur Medici a Principibus, qui ingruentem morbum arcent, quam ſi jam præſentem expellerent, magis quippe optandum eſt omnino non pati, quam a paſſionibus liberari*; nam ſecundum *Senecam quarundam rerum ini-*

*tia in noſtra poteſtate ſunt, ulteriora nos ſua vi rapiunt, nec regreſſum relinquunt:* Si itaque Principibus Conſiliatores *imminentia* pericula & damna *indicantes* & *præoccupantes* in genere *neceſſarii* & *fructuoſi* ſunt, ita tanto magis *medica* talia conſilia, *propriam* Illorum ſanitatem & vitam reſpicientia, *majoris* æſtimationis & utilitatis exiſtunt.

§. II.

Qui *bonum* Principem optant, illi etiam *bona* & *firma ſanitate* inſtructum, imo *longævum* deſiderant, probe ſcientes, quod cum *ſanitate* etiam reliqua reipublicæ felicitas conjuncta ſit: hinc *Ramazzini in Commentatione de Principum Valetudine tuenda cap. I.* profitetur: *Si lubrica & inconſtans fuerit Principis Valetudo, diu ſtare non poterit publica felicitas; perditi enim homines novarum rerum cupidi hinc anſam captare ſolent, publicam quietem ſeditionibus & bellis civilibus evertendi, quale infortunium olim experta eſt Gallia ſub Carolo IX. qui ob vitam valetudinariam, cui erat addictus, magnis calamitatibus floridiſſimum regnum ſuum afflictum & convulſum adſpicere coactus eſt; ſic Rheutam Scotorum Regem Septimum variis morbis conflictatum, ac ſemper lecto affixum, cum a nepote regnandi cupido periculum aliquod ſibi impendere agnoſceret, a regno ſe abdicaſſe ex hiſtoriarum monumentis habemus*, porro dicit: *languente Principe, languent leges, languet publica felicitas: Ad populorum proſperitatem magnum habet momentum proſpera Principis Valetudo: hinc æquum eſt, ut magna illius habeatur cura & ſtudium; munus autem hujusmodi non niſi medicæ artis eſſe poterit:* & quando *B. Stryckius in Uſu Moderno Pandect. Lib. 44. tit. 3. §. 4. in fin. p. 400.* dicit: *Negligentia Mini-*

 *ſtri*

*ſtri vel officialis Principi nocere nequit*, *cum Princeps officiales ſuos adſtringat*, allen Schaden zu verhüten; *hoc ergo ſi non faciant*, *ſuo delicto non poterunt alteri occaſionem præbere*, *contra Principem acquirendi;* tunc ſane *negligentia Medici* eximiam patitur *exceptionem*, quæ utique Principis *Sanitati* magnum *damnum* inferre poteſt: Priusquam vero *ſpecialiorem* præſentis tituli tractationem ſuſcipiamus, quædam *præmonenda* & ex parte aliqua *obſtacula* removenda ſunt: Singularis itaque eſt *divina* bonitas, quod Principes frequentius *firma* & *vegeta* natura, conſtitutione bona corporis, *virium* præſtantia, animique fulgore atque *valore* præditi & exornati, adeoque a DEO *diſtinctis naturæ* dotibus, utpote ad *altiora* nati & per divinam providentiam deſtinati, qualificati & confirmati ſint, ut huc quadantenus quadret *Exod. III. 12. hoc erit ſignum*, *quod ego miſerim te* & *Numer. XVI. 28. per hoc cognoſcetis*, *quod Jehova miſerit me;* quare *Calvinus in Lexic. Juridico* dicit *ſub tit. Princeps Græci principium* &c. *Cœterum principes in caſtris dicebantur*, *qui in principiis collocati militabant hi quidem ἀκμάζοντες*, *viribusque & ætate fortiores erant;* aſt quam ſæpe *præſtantiſſima* ſanitas *condigne* haud æſtimatur & *aliæ* occupationes *præferuntur*, velut *recreationes* animi & corporis, *appetitus* oblectamenta, deliciæ *gulæ*, *venationes*, negotia *ardua* & ſtrenua *regiminis*, ſub quibus ſui *obliviſcuntur*, conſilia medica *differunt*, melius de ſanitatis *conſtantia* ſentiunt & ſalutaria talia conſilia differunt, velut *felix Paulum Actor. XXIV. 25. quod præſens attinet*, *abi: Sed cum occaſionem accepero*, *huc vocabo te;* non raro multiplex vegetæ naturæ abuſus occurrit & committitur, ut ex *firma* ſanitati, *debilis*, vacillans & inconſtans proveniat & ſub opinione, quod naturæ *vires* non *emolliri*, relaxari & indulgentius tractari, ſed obfirmari & *indurari* debeant, *actu* corrumpuntur, confundun-

duntur, *deſtruuntur* & *enervantur*, ut *adverſa* valetudo conſequatur: *nimium* itaque hiſce viribus *confidentes*, facile cum diſpendio *ſanitatis* illis *abutuntur*: unde perinde interdum *irreparabile* redditur damnum; hinc ſemper *adverſa* conflictantur valetudine & ob *morboſum* talem ſtatum, ſuperveniente *impatientia* & animi faſtidio, ſemper *majora* accrementa præſens capeſſit afflictio: Deinde ſæpe Principes non modo *plus* & *altius* de robore ſuo naturali ſentiunt, *minus* viciſſim de *morboſis* invaſionibus, quas *levi* & *brevi* manu *curabiles*, aut *tranſitorias* æſtimant, adeoque cauſis *morboſis* aliquoties patulam & plenam concedunt portam; quid quod non raro evenit, ut de *poteſtate* artis medicæ *majus* ferant judicium, quaſi Medicus *poſſit* & *debeat* ingruentes & præſentes morbos *cito*, *certo*, tuto & jucunde *curare*: reminiſcimur hac occaſione illius judicii *Maſcardi de Probationibus concluſ. 1234. n. 15. quod credit Princeps & nos credere debemus & Principis verbum pro lege habere:* ſi hæc adſertio applicatur ad *præſentem* animadverſionem, quod videlicet *interdum* Princeps de *arte medica* credat, quod *abſolute* & *promiſcue* juvare *debeat* & *poſſit*, tunc iterum huc quadrant verba *Maſcardi l. c. concluſ. 1243. n. 39. Principis adſertio recipit probationem contrariam per indirectum, non arguendo ipſum Principem de mendacio: plura etenim quæ directe prohibita ſunt, per indirectum fieri poſſunt:* quam ob rem Principi prudens & *peritus* Medicus *reverenter*, modeſte & perſpicue reſtrictas & *limitatas artis* medicæ vires & *poteſtates* ſignificare & *demonſtrare* poteſt & debet, ne ſub tali *nimia* confidentia illuſtres Perſonæ ſua ſpe *fallantur* & in eximium vitæ *periculum* ſe conjiciant, in quo, ſicut ſub ſole nihil eſt *perfectum*, etiam illud reſonat: *non eſt in medico ſemper relevetur ut æger*; *principiis* itaque *obſta*, *ſero medicina paratur*: hinc *neceſſitas* ægrotandi, nec habet, nec obſervat *legem* & *poteſtatem* Principis: interim *quod Princeps*

 *ex*

*ex certa ſcientia fecit, improbare, eſt crimen Sacrilegii L. 3. C. de crim. Sacrileg.* hæc *nimia* a vero æſtimatio artis medicæ non ex *certa* ſcientia fluit, ergo non eſt crimen Sacrilegii, ſi *tale* judicium de *Medicina* probari minus poteſt; ob id *matura* Conſiliorum medicorum applicatio, tanto magis Celſis talibus Perſonis commendanda eſt, quo *citius* & *frequentius* eædem ob igneam & vegetam ſuam naturam *morboſis* alterationibus corripiuntur.

§. III.

Quando itaque præſenti themate ſuccinctam & *generalem Diætam* pro *Principibus* tradere cogitamus, tunc adhuc *removemus* obſtaculum *Conſuetudinis*, quo nonnulli ſe contra *morboſas* comminationes *circumvallare* ac tueri, inſuperque *medica* conſilia *rejicere* cogitant; hinc circumſonant illa refugia: *optima legum interpres eſt: Conſuetudo L. 37. ff. de Legib. Conſuetudo eſt altera natura* juxta *Galenum de temperam. Lib. 2. c. 4. quæ ex longinquo tempore conſueta ſunt; etſi deteriora fiant & exiſtant, inſuetis etiam haud nocent. Chriſt. a Vega lib. art. med, Sect. 2. adſuetis delector: & quod Bernhardus* de conſuetudine judicavit *lib. 1. de conſid. c. 2. primum tibi importabile videbitur aliquid, proceſſu temporis ſi adſueſcas, judicabis non adeo grave, paulo poſt & leve ſenties, paulo poſt etiam delectabit:* wer es gewohnt ſey, könne es ohne Schaden vertragen, ein anderer müſſe es wohl bleiben laſſen; huc etiam *Senecæ* quadrant verba *lib. de tranqu. anim. c. 10. Cogita, compeditos primo ægre ferre onera & impedimenta crurum; deinde, ubi non indignari, ſed pati propoſuerunt, neceſſitas forte ferre docet, conſuetudo facile; nam hæc ex gravibus levia, ex inimicis amica, ex nocivis utilia format;* aſt *nimis gratioſum & lene* hoc eſt de *Conſuetudine* judicium! haud enim ita *innocens*, miſericors & *mitis* eſt illa Conſuetudo, quæ *duplici* vultu prædita, *antico adulatorio, poſtico crudeli:* quam ob rem hæc Conſuetudo nulli hominum fidum largitur aſylum & protectori-

ctorium. Et dum de *Diæta* Principum præſenti labore agere conſtituimus, *Diætæ* acceptionem non ad *ſtrictiorem victus* rationem applicamus, ſed ad mentem *Galeni* ad *generalem* vivendi modum & *congruum* rerum inter *Medicos* ex Galeni appellatione acceptarum & intellectarum *non naturalium*, uſum extendimus, adeoque in ſenſu *ampliori* intelligimus; unde indicandum & demonſtrandum nobis erit, quomodo harum rerum, quæ *quotidie* ferme occurrunt & ad *vitam naturalem* pertinent, *uſus* inſtituendus ſit, ut *ſanitatem firmam* & vitam *longævam* promittat: quam ob rem *hæc Diæta* præſentis thematis ad *ſanos* præcipue directa eſt, ſicut inter alios *Bontius* talem *ſanorum Diætam* peculiari ſtudio commendavit, neque varias *morboſas actuales* Principum afflictiones concernit, ſed id præcipue *pro ſcopo* ſuo habet, quomodo Principes *ſanitatem* ſuam *præſentem* ſub *convenienti* rerum non naturalium uſu conſervare, aut *eminentes* morboſas calamitates *avertere* & declinare debeant, ne ipſa morbi vi obruantur & *majori* periculo ſubjiciantur. Per *Principis* notionem non tantum intelligimus *Perſonam*, quæ *ſummam in republica poteſtatem habet*, adeoque Sceptrum & regimen in populo tenet, ſed & quæ ex Celſo & illuſtri tali *ſtemmate principali* dignitate coruſcat, adeoque *generis* dignitate & fulgore, *hæreditatis* & *educationis*, ut & reliquæ humanæ *felicitatis ſplendore* eximie diſtincta eſt: cum itaque tales Perſonæ ex *nativitatis*, *educationis*, *dignitatis*, *vitæ generis* reſpectu *peculiares* circumſtantias complectantur, ita argumentum magnæ *utilitatis* & ſelectæ *neceſſitatis* eſt, quo illarum Diæta *curatius* commendetur: Et ne præſens tractatio nimis *diffuſa* & ampla evadat, non ſermo nobis eſt de Principiſſarum, ſed *Principum* Diæta, neque de Principum a *teneris* & *primæ* ætatis initiis *educatione* & tractatione *Medica*, ſed de *illa juniori* partim, partim *adultiori* Principum ætate, in qua *rerum non naturalium*, infra ſeorſim annotan-

notandarum, uſus *liberior*, *liberalior*, ſæpe minus *providus* & *promiſcuus*, imo *incongruus* eſſe ſolet, ut propterea *fidus* & *peritus* Medicus ſollicite indicare debeat, quid *ſanitati* prodeſſe, quidve obeſſe queat & ſoleat, ne *firmitas* illius ex *negligentia* aliqua lædatur neve *arduum* vitæ & ſanitatis *periculum* admittatur: ſicut itaque juxta *Gordonium de conſervat- vitæ humanæ Diæta optima medicina eſt*, inſuperque Principes tales Perſonæ non raro cum adverſione aut *impatientia*, aut non niſi in ſumma *neceſſitate* medicamenta aſſumunt, proinde lubentius *verbis*, quam *herbis* utuntur, ita *talis* Diæta ſeligenda & ordinanda eſt, quæ ſub *conſuetorum* mediorum naturalium *dextro* uſu, vitæ & ſanitatis integritati ſubvenit: unde non deſunt illuſtria & *ſplendida* exempla, quomodo Principes *peritis*, modeſtis, prudentibus, fidis & ſubmiſſis monitoribus auſcultantes, *congruamve* diætam obſervantes ad ſeram, vivacem & *vegetam ſenectutem* & *Longævitatem* pervenerint: in quos cadit illud *Pindari*, quando in *Olympiis* ſanitatis encomia extollit, quod *Perſona ſana, extremum ſenium conſecuta, fama illuſtris, divitiis & proſperitate affluens, nequaquam ſollicita eſſe debeat, ut ſit DEUS*: quo magis enim ſubditos fideles angit, Principes bonos ſub morborum gravitate & cruciatibus gementes audire, eo magis convenit *invaſiones* morboſas *præoccupare*, illisque mediis *congrue* uti, quæ *DEUS* & *Natura* indiſcretim *cuilibet* homini tanquam ſacram vitæ & ſanitatis naturalis conſtituit anchoram: inter alios denique hoc thema præter prædictum *Ramazzini* tractarunt *Cariſtius de tuenda ſanitate ad Antigonum Regem. Ludov. Lobera de Conviviis nobilium & valetudine tuenda; Magnini Maimonidis tract. de Regimine ſanitatis ad Saldanum Regem.*

§. IV.

Diæta Principum in *generali* ſuo conſpectu nihilo minus *peculiares* quasdam circumſtantias comprehendit,

quas

quas *peritus* Medicus annotare debet & quidem Principis *Temperamentum*, *animi* robur & *corporis* firmitatem, *virium* valorem & gradum, *dependentiam* in ſtemmate, an videlicet *Parentes* & *Majores bona* valetudine prædìti, an *morboſis* & qualibus afflictionib9 correpti, ut & quamdiu illis detenti fuerint, an *hæreditaria* diſpoſitio in poſteris & natalibus hæreat; deinde obſervare convenit *ſpecialem* Principis applicationem, an ad *operoſa* negotia regiminis, aut ſtudiorum, an ad aſſidua, ſtrenua, laborioſa & heroica exercitia *militaria*, an ad crebras *animi delectationes* & fortes commotiones *corporis*, per diverſas exercitationum, *venationum*, *equitationum*, *ſaltationum* & aliorum *ludorum* ſpecies: porro advertere convenit, in *quales* morbos ſtirps ſereniſſima inclinet, an in *ſpaſticos*, videlicet podagricos, nephriticos, iſchiadicos, hypochondriacos, colicos, hæmorrhoidarios, an aſthmaticos, in catarrhales decubitus, in congeſtorios, febriles, cholericos &c. affectus: an *ſingularis proclivitas* & activitas adſit ad *generandam* ſanguinis moleſtam *copiam*, aut diſtinctam *acrimoniam* humorum; an plus aut minus *ordinariæ*, præcipue *alvi*, excretiones ſuccedant, an *multæ* & *fortes* commotiones *animi* ſuccedant; in quali *climate*, *loco*, *palatio*, *territorio* uſitatius vivant, an a *teneris* natura *firma* & robuſta, an contra *debilis* & vacillans fuerit: an nunquam *violentiæ* quædam ominoſæ, vulnerationibus, contuſionibus, lapſibus aliisque *tragicis* & infortunatis caſibus præceſſerint, quo etiam *venenoſorum* ingeſtiones pertinent, an arduis & periculoſis *itineribus*, *militaribus* expeditionib9 & aliis *glorioſis* factis *delaſſatio* præmatura provocata fuerit; an peculiaribus *conſuetudinibus*, tam quoad *animi* motus, quam quoad functiones, *vitam* naturalem attinentes, Principes inſtructi ſint: an *certas* evacuationes paulo *largius* experiantur, velut *ſudores*, *urinæ* miſſiones, aut *alvinas*: an *extraordinariis* evacuationib9 ſubjecti ſint, videlicet *catarrhalibus* defluxionibus, *Hæmorrhagiis narium*, *Hæmorrhoi-*

*rhoidibus* ( vel *actu* erumpentibus, vel iteratis *moliminibus* ſe manifeſtantibus) *ſudoribus* annuis, aut *efflorescentiis cutaneis* tranſitoriis, puſtularibus, ſerpiginoſis, prurientibus; an corpore *procero, robuſto, obeſo*, aut *gracili*, *tenero*, exſucco præditi ſint; an quoad *externum* conſpectum ſanguine *florido* & flammeo inturgefacti & *majeſtatico* vultu fulgentes & clari ſint: an pectus gerant amplum & *ſpatioſum*, an vero ſtrictum, abbreviatum & *anguſtum*; an *ſpontaneis* intenſioribus ſanguinis *orgaſticis* commotionibus, nec non *congeſtionibus, rhevmatiſmis* &c. obnoxii ſint: an in functionibus animalibus & naturalibus, *viribus præcipue*, deinde *ſomno, appetitu, concoctione* &c. *ſufficientem* vigorem poſſideat an a *teneris* annis *ordinato* vivendi generi adſueti ſint, an viciſſim ſub vitæ *aulicæ* uſu & exercitatione *liberialiori* quædam eminentes *ataxiæ* in œconomiam *vitalem* introductæ fuerint: an *variolis* & *morbillis* modo laboraverint, an vero minus: an *idioſyncraſia* majoris momenti, aut *altioris* indaginis adſit; an forte alia afflictio, velut *hernia*, procidentia ani, *ſubluxatio* &c. adſit: an & *quales* unquam & antehac *morbi* notatu digni *prægreſſi* fuerint; an & *qualibus* forte antehac aut *domeſticis*, aut *aliis* medicamentis princeps tractatus & uſus ſit: an *nullis* unquam morbis correptus fuerit, adeoque *diu* vegeta, *conſtanti* & firma valetudine ſublevatus fuerit: ſub quali *morbi ſpecie* parentes *vitæ* naturalis *finem* conſecuti fuerint: an frequentes & ſenſibiles *animi turbæ* & *curæ* præcurrerint, quæ tanto *majoris* ſunt efficaciæ, quo *eminentioris* dignitatis ſunt perſonæ; nam qui ſunt *ſubditi*, res *adverſas* paulo facilius interdum perferre poſſunt, quam ſi ſunt *Legislatores*, interim & hi nonnunquam res *adverſas* experiuntur: an Principes ſub *aliorum* medicorum manibus fuerint, qui *non ſatis condigne* prægreſſis morbis & ſpei ſatisfecerunt, ut propterea *conſequens* Medicus magna prudentia *futuram* tractationem medicam in ſe ſuſcipere debeat; ne culpa anteceſſorum in *innocentem* devolva-

volvatur *ſucceſſorem*, v.g. ſi ante hac opiata, martialia, alia adſtringentia, Cort. Chin Chinæ, carminativa, ſanguinem edulcorantia, conſortantia, emetica, purgantia &c. minus congrue ordinata fuere; an forte jam *multiplices* methodi tam *prophylacticæ*, quam *curatoriæ*, aut *diæteticæ*, aut *pharmaceuticæ* adhibitæ fuerint? &c. haſce & adhuc alias circumſtantias antea providus & peritus Medicus pernoſcere & indagare debet, ut dein illis Diæteticam ſuam ordinationem accommodare queat.

§. V.

Accedimus itaque ad paulo *ſpecialiorem* præſentis thematis explicationem & *primo* loco indicabimus, qualis relatio & qualitas *Aeris* ad ſanitatem Principum tuendam *utilis* & neceſſaria exiſtat: in *genere* quidem Principum naturæ perquam quadrat Aer *purus, temperatus, ſerenus*; hinc *ordinariam* ſedem ſeligere debent in loco ab exhalationibus *putridis*, *paludoſis*, nimium humidis aliisque *impuris* libero, neque frequentibus *nebulis* obnoxio, magnis aut multis *ſtagnis* circumdato, neque intra *ſuperficiem* ſoli multam *aquæ* abundantiam poſſidente, unde continuæ *humidæ* exhalationes proveniunt; proinde ſedes Principis non ſpiſſis & denſis *ſylvis* occluſa eſſe debet, unde non modo multa *effluvia* humida, *putrida*, *ſulphurea*, *ſalina*, aliaque *inimica* proveniunt, ſed liberior acceſſus & *afflatus purioris* auræ impeditur, quid quod frequentius *ſenſibilis* & inſenſus aer *frigidus* adſpirat, ex quibus qualitatibus variæ *pernicioſæ* alterationes metuendæ ſunt; evitandus etiam eſt Aer valde *craſſus*, vappidus & *turbulentus*, qui tanto magis *valetudinariis* ſubjectis infenſus; ſiquidem *humido frigidus* imprimis Principibus, quibus *defluxiones* moleſtæ & ſuſpectæ *catarrhales* capitis atque pectoris *familiares* ſunt, valde *adverſus* eſt; quam ob rem etiam *nocturnus* aer, qui *communiter* humido frigidus exiſtit, ſedulo vitandus eſt: & quamvis in conclavi ſuo Principes ſe de-

tineant, tamen nulla, quamvis anguſtiſſima porta acceſſum ejusmodi *infenſi* aeris omnimode excludere poteſt: hinc tanto minus *nocturnæ* peregrinationes, aut *liberiores* aëris admiſſiones proficuæ ſunt, quæ *diverſimode* alterationes ſuas exſerere ſolent, aut prædictos affectus *catarrhales* invitando, aut *colica* pathemata aliasque afflictiones *abdominis* cauſando, aut *tranſpirationem* inſenſibilem ſufflaminando, indeque *congeſtiones*, *rhevmatiſmos*, *ſpaſmos* &c. provocando, autob *ſenſibilem* corporis *refrigerationem* alias *ſalutares* excretiones *turbando*, alvum *obſtruendo*, concoctionem *pervertendo*, *cruditates* in primis viis generando & accumulando, aut incommoda alvi *profluvia* excitando, *translationes* humorum ad *pectus* & *caput* alliciendo, multaque *alia* damna producendo: multum enim refert, quo ſub *lauta* Principum Diæta *tranſpiratio* inſenſibilis *conſtans* & *ſufficiens* ſit, quæ præcipue in naturis *ſenſibilibus* facile ab aëris *intemperie* offendi & ſufflaminari poteſt: Seligant itaque Principes ſedem *ordinariam*, quam *temperatus* aëris acceſſus & afflatus attingere & *perſpirare* poteſt, quo indies *impura* effluvia diſſipentur & avehantur, *nova* vero *purior* aura reſtituatur & advehatur: neque conſultum aut fructuoſum eſt, ut ſedi Principis *ſtabula grandiora* vicina ſint, unde *impuræ* exhalationes facile *reliquum* aërem *contaminare* & inquinare, *ſenſibilia* vero ſubjecta valde *alterare* ſolent: Vitanda etiam a Principib9 eſt *fortior inſpiratio* inquietæ, turbulentæ *frigidæ* auræ, ſub ſtrenua *equitatione*, celeri & *vectura*, alacri *venatione*, aliaque magna corporis *exercitatione*: unde præter *ſubitaneam* & valde præjudicioſam *pripheriæ* occluſionem interiora *capitis* & *pulmones* valde offenduntur; ut utriusque regionis atque partis *intricatæ* & moleſtæ afflictiones *morboſæ* ſuperveniant: & quoniam Principum *caput*, partim quoad operationes *mentis*, partim quoad multiplicem *locorum* mutationem multa perferre debet, ita *ſalutaria* conſilia

eo

*eo* etiam dirigenda ſunt, quo caput ab *injuriis* aëris defendatur, videlicet ab aëre *frigido*, *humido*, *nebuloſo*, vappido, humido-frigido, humido-calido arceatur & in juſta *temperie*; aut *moderato* calore conſervetur: & ſi Principes aëſtualibus *capitis doloribus* obnoxii ſunt, tunc perinde aut *valde calidus*, aut *perquam frigidus* aër, aut *ſubita mutatio* caloris cum frigore vitari debet: hunc *Wepferus obſ. 52. p. 143.* Conſilium pro Illuſtriſſima Perſona dat: *aër fugiendus pluvius, nebuloſus, auſtrinus, borealis, caput contra frigus muniendum capillitio factitio*: qui author ortum *Hemicraniæ p. 141.* in nominata Perſona a *frigido* aëre demonſtrat: ita aër *paluſtris*, omnibus hominibus, tanto magis *ſenſibili* Principum naturæ *infenſus* eſt; ſiquidem ille præter alios *inimicos* effectus provocandi *catarrhos* fixos & *viſcidos*, *ſtagnationes* ſanguinis, *ſpaſmos*, morbos *malignos*, inquinationem *lymphæ*, *purpuratas* & *ſcabioſas* efflorеſcentias, vitia *urinæ*, perturbationem excretionis *alvinæ*, *tusſes*, *aſthmata*, etiam *anomalas* & contumaces febres *intermittentes* cauſari poteſt & ſolet, *conf. A. N. C. dec. 2. an. 7. obſ. 220.* hinc principes non diu in locis *nemoroſis & paludoſis* verſari debent. Sicut itaque aëris *benignitas ſanitatis* & *longævitatis* cauſa naturalis exiſtit, ut probatur in *Act. Erud. Lipſ. An. 1688. Menſ. Octobr. p. 519.* id quod fuſius *D. D. Præſes in diſp. de Longævitate ex aëris temperie* demonſtravit, ita plus hanc aëris *temperiem* Principes obſervare & ſeligere debent, ne ſanitatis *firmitatem* & continuationem violent.

§. VI.

Quando *aëre* valde flagrante & *nimis æſtuoſo* Principes ſubito & diu loca *admodum frigida* inhabitant, *magnam* ipſis hæc *mala* proportio minatur perniciem, etenim ab *æthere* valde *rarefacto* & perquam impulſo *nimium* commotus ſanguis, nunc *orgaſtica* expanſione præditus, a *præjudicioſo* illo frigore in *libero* & *ſtrenuo* ſuo progreſſu eximie *impeditur*, unde periculoſæ *ſtagnationes*, *ſtaſes*, *in-*

 *ſtam-*

*ſlammationes*, *ſpasmi*, *congeſtiones*, *febres &c.* facile oriuntur, *ſerum* copioſum orgaſticum ſulphureo-ſalinum eadem *frigida* aëris qualitate in*ſufficiente* ſua excretione peripherica offenditur & turbatur, inde *febres* acutæ, *catarrhi* acres, febres catarrhales, *rhevmatiſmi*, *ſpaſmi*, *nephritis*, *colicæ*, acres & bilioſæ dejectiones aliaque multa ſontica incommoda originem trahunt: Proinde *peregrinationes* ſub libero aëris valde *frigidi*, *inquieti*, ventoſi, *craſſi*, *humidi* afflatu, bey einer rauhen, ſchwehren, kalten Lufft, ut & *venationes* ſub*ſimili* aëris qualitate, nec non liberaliores commorationes & converſationes ſub aëre *nocturno*, qui communiter *eximie* corpus *alterat*, ſollicite vitandæ ſunt, tanto magis a Principibus, quorum natura *ſenſibilior* eſt, aut qui ſub reliquo corporis *robore* ſucceſſive, ob minus attentam & congruam *iniqui* aëris admiſſionem, graviter offendi & lædi poſſunt: hinc *Ramazzini l, c. cap. 3. p. 717.* notanter monet & inculcat: *cautum itaque in hac re & obſervatorem eſſe, oportet Medicum, cui Principis valetudinis tuendæ cura incumbit, ut quantum licet, Aeris naturam, in quo ille utplurimum degit, exploratam habeat, eamque temperamento accommodet & qualis corporis ſit ſtructura, denſa vel rara, ut conveniens ſit tranſpiratus, diligenter, obſervet:* & p. 718. *Cum præſtet, principem ſaniorem eſſe, nihilque ſit, quod promptius perſpiratum temporis momento offendat, quam aëris frigus intempeſtivum, præſertim ſi a calido loco ad frigidum fiat tranſitus, attentum propterea oportet eſſe medicum, in mutatione temporum, quæ potiſſimum pariunt morbos, ut Principem ſuum præmoneat ne tam facile frigido aëri & pluvioſo ſe committat, ne ſubita fiat pororum cutis conſtipatio, qua nihil promptius eſt ad ſanitatem evertendam: cum itaque venatum procedunt Principes per autumnum & hyemem, monendi ſunt, ut in placido aëris ſtatu id agant, nec flante Borea, aut ingruentibus pluviis: ut autem hac in re Principes habeant præceptis ſuis Medici magis obſecundantes,*

*opti-*

*optimum erit iis ſuadere, ut in ſuo Cimeliarco habeant Barometros, Hygrometros, Anemometros aliaque hujusmodi inſtrumenta, ut oculari fide agnoſcant, quid faciant in athmoſphæra ſubitæ temporum mutationes: Autumnali* itaque, *hyemali* & initiante *vernali* tempore *matutinus* & *veſpertinus*, imo *nocturnus* aër *circumſpecte* admittendus eſt: *ſereno* vernali viciſſim & æſtivali tempore aurea *aurora*, matutinæ & ad veſperam accedentes horæ ad *negotia* publica & *liberiorem* aëris admiſſionem ſeligi debent: hinc *Ramazzini l. c. p. 719.* ſcribit: *æſtate invitandi ſunt Principes, ut ad ſolis ortum exſurgant, ad auram leniorem captandam & ſanguinis æſtum ſufflaminandum, quod non ita facile impetrari ſolet, dum utplurimum Principes noctu operoſam vitam agentes, interdiu vero ſomno indulgentes eſſe conſueverunt: Cariſtius in l. c. p. 34.* eloquitur: *cordati & periti Medici omnes intendant nervos, quo Principes ab inſalubri & pernicioſa conſuetudine illa avertant, dum nocturna & diurna negotia pervertunt & adverſæ qualitati auræ nocturnæ pretioſam ſuam vitam & ſanitatem ſubmittunt:* Temperies ſemper ſuadenda venit. Interim vero pro *ſanitate* militat, ne Principes *nimis delicate* & ſcrupuloſe aëri ſe ſubducant, neve *infrequentius* liberiori aëre fruantur, alias ſenſus ſuos ac vires *nimis relaxant* & emolliunt, ut a *levi* aëris intemperie *graviter* offendantur, imo eo diſponantur, ut ſemper *valetudinarii* exiſtant: quamobrem non quamlibet *mediocrem* aëris intemperiem fugere, neque nimis *rigoroſe* ſe occludere debent: obſervent modo, ut tranſpiratio in *juſto ſucceſſu* continuet, neque *repente*, aut *fortiter* ſupprimatur: Et quoniam *conſtitutio* corporum, ratio *virium & ſenſibilitatis* in Principibus variat, hinc *Medici* etiam officium erit, quo *ſpecialiſſima* conſilia, ex *aëris relatione* haurienda, prudenter & perite accommodet: Vitandus porro eſt aër *malignis* halitibus inquinatus, ne *Epidemici* morbi Principum corpora invadant & ſanitatem *præviam firmam* vegetamque

que

que lædant; hinc tempeſtive *ſalubriora* loca Principibus a Medicis ſunt commendanda: aut *illis* anni temporibus, quibus *Petechiæ*, *Purpura* maligna, *variolæ*, *morbilli*, *petechizantes* febres, *dyſenteriæ* invadere & graſſari ſolent, *ſollicita* providentia *liberiori* & puriori aura utantur & in conclavibus ac dormitoriis ſuis aërem cum *gratis* & idoneis *ſuffimigiis* depurent: quare cum *Jœpſero in manuduct. ad vitam longam Part. 1. c. 6. p. 33.* commendamus: *habitatio ſit lucida*, *ſit alta*, *orientem potius & occidentem ſpectet*, *quam Meridiem & Septentrionem*: addimus, aut *inter orientem & meridiem*, aut *inter occidentem & meridiem* poſita ſit & electa: *altior* habitatio purior eſt; in *altiori* enim aëris regione ipſe *aër purior* & ſerenior, in *inferiori gravior* & *pernicioſis* ſubſtantiis magis refertus eſt: denique *Solum* multa *aqua ſubterranea* præditum, congruum aut *ſalubrem* locum pro Palatio aut *ſede* Principis non conſtituit, quoniam *putrida & humida* effluvia ad multos etiam *epidemicos & anomalos* morbos cauſam conferunt.

§. VII.

Præterea *Culina & Cella* Principum ſingularem *correctionem* promerentur: etenim non modo *Temperantia* virtus ſenſu *medico heroica* eſt, Principibus eximie *proficua*, quo magis *virium* integritas, *animique* præſentia atque *vigor* in ipſis neceſſarius eſt, ſiquidem curæ Regiminis *præſtantiam* animi corporisve requirunt, quæ facillime *nimio* uſu cibi & potus læditur; quam ob rem *modicus* victus & potus ſanitatis & vitæ *firmitati* congruus eſt: Proinde ſub reliquis *arduis*, præcipue *animi* occupationibus, quæ multam *ſollicitudinem*, imo non raro *adverſa* affectuum *patheticorum* ſpecimina complectuntur, æque facile *ſuperfluus* potulentorum præcipue uſus, eximia detrimenta *animo & corpori præjudicioſa* affert: quam ob rem *vegetæ* naturæ viribusque robuſtis *parcendum* eſt, nam *omnis* exceſſus *deſtruit* naturalem

vigo-

*vigorem* & *præmaturam morboſam* affert afflictionem, hinc dapibus Principum inſcribenda eſt *Pythagorica* illa admonitio, *ne quid nimis!* quantum enim ſplendidus *apparatus* ciborum, qui ad Principum menſas deferuntur, *appetitum* alliciat, ſeducat & ad *exceſſum* invitet, ſatis manifeſtum eſt; *ſuperflua* quantitas & *variatio*, *confuſa* qualitas in cibo, præcipue ſunt *efficaciſſimæ* cauſæ *infrigendi* ſanitatem; in genere *multiplicium* ciborum *ſimultanea* ingeſtio omnibus hominibus *pernicioſa* eſt: frequens & quotidiana *ſaturatio* multis lædit modis, onerat *concoctionem* & *vires* naturales, auget *cruditates*, enervat *ventriculum* & primas vias, ut in iisdem magna quantitas *pravæ ſaburræ*, morbos chronicos, *hypochondriacos*, *colicos*, febres *intermittentes*, præcipue *irregulares* febres *lentas*, *obſtructiones* alvi, *aſthmata flatulenta*, oppilationes *glanduloſarum* partium, *depravationes* lymphæ &c. provocantis, coacervetur: cauſatur generationem impuri chyli, *inquinat* totum corpus variis *heterogeneis* & *inimicis* materiis, conciliat *impuritatem* humorum, invitat *rhevmatiſmos*, ſalutarium *excretionum* turbas, *ſpaſmos* intricatos; ita ut, ex hac cauſa *lerna malorum* proveniat: hinc augetur ſanguis, ut *Plethora* cum *Cacochymia* facile oriatur: quæ ſingulæ conſecutiones ſanitatem & vitam valde *lædunt*: unde in tales, *ſuperfluo* apparatu æſtuantes, culinas quadrat exclamatio illa filiorum Prophetarum 2. *Reg.* 4. *v.* 40. *ad divinum exclamant*, *venenum eſſe in olla*: fugienda itaque ſollicite eſt pernicioſa *ſaturatio* & multiplex ciborum *differentia*; quare *Plutarchus in ſalubrib. præcept.* inter cauſas ſanitatis & longævitatis retulit, *veſci citra ſaturitatem*: & quamvis plurimi Principum *vegeto ventriculi* robore bonoque *appetitu* præditi ſint, propterea tamen & *ventriculus* & *appetitus* lædi & *violari* poſſunt; hinc *moderata* ciborum ingeſtio perquam commendanda; neque etiam *varietas* ciborum conducit, ſed *paucis* eduliis *naturali* appetitui ſa-

tisfaciendum: tanto minus *plena cæna* proficit, quæ communiter noctes *turbulentas* reddit: neque conducit *valde delicatæ*, molli & alimentoſæ diætæ indulgere, quoniam in negotio *concoctionis* perquam *relaxantur* & corrumpuntur *vegetæ* vires; neque tamen *nimium* & *frequenter* cibi *craſſi*, duri & *difficulter* concoctioni obtemperantes ingerendi, imo *larga*, plena & *ſimultanea* ventriculi oppletio cum ejusmodi *crudioribus* & craſſioribus cibis eximie ſanitatem lædit, repente alvum *obſtruit*, colicam invitat, ominoſas *præcordiales* anguſtias provocat, capitis ſonticas afflictiones, *vertiginoſas* perturbationes, aſthmatico - ſuffocativa aliaque *ſubitanea* periculoſa pathemata cauſatur: *nocent* cibi valde *refrigerantes*, qui admodum *concoctionis*, ſe- & *excretionis* officium turbant; *nocent liberales* comeſtiones fructuum *valde* refrigerantium, cucumerum, melonum, ficuum, aliorumque *primas vias* admodum offendentium valde *acidorum*, *auſterorum* & craſſa *mucagine* præditorum, velut nucum, caſtanearum &c. quales fructus aut ſuſpectos alvi *fluxus*, aut *flatulentiam* augentem, colicam, vomitus, periculoſas adſtrictiones alvi & urinæ, vitia diureſeos, aſthma-ſtomachale, tuſſes, catarrhos alioſque arduos affectus excitant: *nocent* cibi *contrariis* qualitatibus inſtructi, nunc *dulces*, mox *acidi* una comeſtione ingeſti, qui magnas turbas excitant; nocent cibi tantum *ſemi cocti*, carnes *ſanguinem* adhuc ſtillantes, aut valde duri; etenim, quamvis de talibus cibis opinio circumferatur, quod optimo alimento & præſtantiſſima *gelatina* præditi ſint, tamen ipſa *præparatio* talis facile *appetitum* violat, *nauſeam* allicit, aut ſuccum nutritium accumulat, ſiquidem Principum menſæ alimento magis *abundant*, quam ut gelatina, velut in ægrotorum Diæta fieri & diſponi ſolet, concentretur: *Bartholinus tr. de ſangu. vetit. p. 24.* dicit: *cultiores gentes omnes exinde ab eſu ſanguinis abhorruerunt, quæ legum divinarum memores vel Chriſto litarunt, vel honeſta-*

ti,

*ti, niſi ſi quando laxiora ſibi fræna gulæ amor indulſit:* nam quando patinæ atque diſci ſanguine brutorum circumfunduntur & maculantur, qualis inde gratia appetitus veniat, haud facile liquet; & quamvis ad curioſum palatum eſſe videatur, ſi caro aſſa cruore adhuc madet, tamen ſubtilis interna adverſatio comeſtum ſanguinem proſequitur; *naturæ enim quodam inſtinctu ſanguinem averſamur*, dixit *Bartholinus l. c. p. 28.* & ibid: *inter ſiniſtra omina, velut naturæ adverſa & prodigia omni ævo inter omnes habitus eſt, ſanguis p. 39.* allegat locum ex *Synodo Sexta Conſtantinopolitana*: *eos ergo qui, propter lautum & delicatum ventrem, cujuscunque animalis ſanguine arte aliqua eſculenta condiunt, ac inſtruunt, ut par eſt, incuſamus & punimus*; cibi *nimis ſaliti* & *largius aromatiſati* Principibus nocent, qui quoniam uſitatius *vini* potu utuntur, facile *acrimoniam* humorum colligunt & *ſerum* valde *acre* & ſaturatum ſulphureum ſalſum augent, *bilis* præjudicioſam quantitatem inde acquirunt, ac variis ſanitatis *declinationibus* ſe ſubjiciunt: neque tamen propterea *ſelectus* ciborum adeo *ſcrupuloſus* ſit, nam quadrat huc *Bernhardi* effatum *Serm. 63. omnia mediocria ſunt utilia & in ſuo modo perfecta: quæ cum temperantia fiant, ſalubria ſunt; bona autem immoderato uſu noxia fiunt: omnis enim nimietas in vitio deputatur*: ex hiſce generalibus regulis jam *ſpeciales* formandæ ſunt, pro ratione *ſubjectorum* & *individuorum*: omnium maxime *accurata* diæta commendanda eſt Principibus in affectus *apoplecticos, ſuffocaticos, hypochondriacos, colicos, ſpaſmodicos, Catarrhos* acres, *hæmorrhoidum* anomalicos aut regulares motus, *calculoſos, febres intermittentes, bilioſas, podagram, flatulentiam*, adſtrictionem alvi &c. inclinantes, qui ſub *ſollicita* obſervatione *bonæ diætæ plus* inde utilitatis ad *præſervanda*, aut *lenius* tolеranda & ſubeunda hæc mala ſentiunt, quam a *ſplendido remediorum* artificialium uſu.

§. VIII.

Quoad *ſalubrem* uſum *Potus* Principibus æque *congruæ* regulæ commendandæ ſunt: *ſufficiens*, ſed *non nimius* potus omnibus hominibus proficit, quia partes *fluidæ* & *ſolidæ* ſufficienti *humiditate*, indeque veniente mobilitate, & *flexilitate* indigent: ſit vero etiam potus *temperatus*: dum enim communiter Principum naturæ *calidæ*, vegetæ, alacres, flammeæ exiſtunt, non conſultum eſt oleum in flammam projicere & *humores* valde *impellere* & exæſtuare: tanto minus convenit, *largiorem* aut *liberaliorem* potum *ſpirituoſum* concedere natoris ſanguine ſubtili *florido*, ſulphureo, valde ſeroſo, *acri* præditis, quibus cujusvis vini, alteriusve ſpirituoſi potus uſus admodum modicus eſſe debet: vina *juniora* principio *ſalino craſſiori* & *ſulphureo* largiori & *crudiori* abundantia, aut plane *ſulphurata*, male *arte facta* ſeponantur; vina valde *generoſa* exotica *Hungarica*, *Gallica*, *Jtalica*, *Perſica* inſtar *medicinæ* magis adhibeantur: *diſcrepantium* vinorum ingeſtio ſimul & ſemel contingens, ob *diverſos effectus turbat* verius, quam reficit & erigit naturam; vina *meraca largius* & *conſueti* potus inſtar uſurpata *nocent*; præſtat potius eadem *puriori* aqua diluere & *temperare*: præter uſum vini, *alia* potulenta *ſpirituoſa* non conducunt, ſed totum corpus magis *inflammant*: conducit vinum adultum *germanicum modica* copia aſſumendum, aut *exoticum parciori* quantitate ingerendum; ſervata illa cautela, ne ſub *æſtuoſo* valde tempore aut *fortioribus* corporis commotionibus & exercitationibus vini potus *liberaliter* adhibeatur; *quibus* occaſionibus *temperatiſſimi* potus magis conducunt; Proficit porro cereviſia *pura* bene *defæcata limpida & tenuis*, ne *primis regionibus* turbas det, nocet vero *acida*, turbida, *craſſa*, valde *ſaturata*, nimis *pinguis* & alimentoſa, admodum inebrians, perquam *fermentans*, nimis *dulcis*, quæ ſingula varia *incommoda* in primis regionibus creat, videlicet flatulentias, colicam, vi-

tia urinæ, concoctionis perverſiones, alvi ſtricturas aut immodicos fluxus, paſſiones cholericas &c. aut ſi ob certas rationes potum *Cerevisiarium* perferre nequeant, utantur *temperato* decocto ex avena excortic. Scorzon. liquirit. Sarſap. tantillo aniſi & cinnamoni cum ſufficienti quantitate aquæ, uti *Cammerarius in Sylloge Memorab. Cent. XII. part 75.* talem potum commendat: quale decoctum *illis* præcipue conducit, qui *cholericis* paſſionibus, *rhevmatisſmis & catarrhis ſalſis*, *acrimoniæ* ſanguinis & lymphæ, *colicis* afflictionibus, *ulceroſis* efflorescentiis, *calculo*, *podagræ*, *arthritidi*, *phthiſicis & becticis* comminationibus, *urinæ* vitiis, *hæmorrhoidum* anomaliis, *defluxionibus* ſeroſis &c. ſubjecti ſunt: Principes, quia multum cum capite & *mentis operationibus* laborioſi ſunt, *leviori* utantur potu, qui *caput* non *onerat*, neque etiam reliquum *corpus* aggravat, qui *concoctionem* ſublevat & ſingulas *ſe- & excretorias* functiones *facilitat*, qui ſanguinem diluit & *fluidificat*, partes *ſolidas* ſufficienter *humectat*, ſulphur *orgaſticum* & ſerum acre *temperat*, adeoque multam *opem* confert: uſus contra boni, adulti, *generoſi* vini ſub comitatu cereviſiæ *ſpiſſioris & valde pingvis*, haud *ſalubris* exiſtit: referimus huc admonitionem *Proverb. XXXI. 1. ne Regibus mos ſit bibere vinum; & dominantibus ſicera non convenit*: recte porro *Ramazzini l. c. cap. 4. p. 723.* eloquitur: *multiplex ac deformis cibi ac potus varietas, ea eſt potiſſimum, quæ Principum ſanitati bellum indicit*: Interdum Principes, de *calido* temperamento participantes, cum utilitate potu *aquæ limpidæ*, non tamen *frigidæ*, præter vinum fruuntur, quæ plus *temperat & diluit*, quam potus *cereviſiarius*: maxima etiam ſollicitudine abſtineant a *frigidorum* ingeſtione, nam mos ille, quo *appetitui* & gulæ *delectatio* offertur, quando *exæſtuatum* corpus *frigido frigefactoque* eſculento & potulento reficitur, *peſtis* inſtar fugiendus, quia non modo *ſubito* ſanitatem *lædit*, ſed & *mortiferos* præcipitis exi-

tus affectus accelerat & excitat, hinc miſera & *funeſta* hæc eſt delectatio, ubi *uno grato* hauſtu *mors* exhauritur & ebibitur, inde enim febres *inflammatoriæ*, peracutæ, colicæ *convulſivæ*, aſthmata *ſuffocativa*, hemiplectici, *apoplectici* affectus, fundamenta *hecticæ & phthiſeos* (*conf. A. N. C. dec. 1. an. 7. obſ. 210. potus frigidus cauſa phthiſeos*) *obſtructiones* viſcerum & excretionum ſalutarium *pertinaciſſimæ* &c. ortum trahunt: Potulenta in *ſumma nocte* ingeſta valde *nocent*, turbant *concoctionem*, ad *craſſum* chylum diſponunt, offendunt *excretiones*, obruunt primas vias *cruditatibus*, diſponunt ad *chyli & lymphæ* depravationem, febres *lentas*, confuſas *intermittentes*, *appetitus* depravationes, *meſenterii* & glanduloſarum partium, in abdomine exiſtentium, offenſionem & *obſtructionem*, variaque alia perniciosa pathemata provocant; quod *potus frigidus nocturnus abdominis tumorem & atrophiam induxerit*, *vid. Hiſtor. morb. Uratislav. p. 31. Act. Erud. Lipſ. An. 1701. Menſ. Nov. p. 522. 523.* ita potus nocturni noxam ex *Valeſco de Taranta*, *Bartholinus in Act. Hafn. Vol. 2. obſ. 105. p. 260.* probat: de *frigefacti* vero potus noxa diſſerit *Jæpſerus in manud. ad vit. long. Part. 1. c. 8. p. 59. 60.* *quem ad vitam longam ſint facturi progreſſum, qui vinum aut alium quemcunque potum glacie frigefactum, ex nimio luxuriantis gulæ ſtimulo, avidiſſime hauriunt, id ſuo ſerius detrimento perſentient, ubi morborum preſſuras ex potu glacie frigefacto naſcentes pati inceperint:* plura *teſtimonia* de potus *frigidi noxa* allegare haud lubet, licet paſſim *multa* illorum proſtent: ſuffecerint hæ *generales* regulæ quoad *Potus* ordinationem obſervandæ.

§. IX.

Proximum eſt, ut de *juſta Motus & Quietis* ordinatione ad tuendam Principum *ſanitatem* agamus: bona & *alimentoſa*, imo *plena* Diæta, aut *ciborum* ingeſtio, requirit

ve-

*vegetam*, proportionatam, *ſufficientem* corporis *exercitationem*, ne ſubſtantiæ *impuriores* & *laudabiliores ultra modum* coacerventur, ſed quo *illæ* ad *maturam* excretionem promoveantur, *hæ* vero *legitimo* modo conſumantur & minuantur, ne corpori *oneri & damno* evadant: Sicut itaque in *genere motus* corporis medium ad *ſanitatem* & *Longævitatem* exiſtit, uti fuſius demonſtravit *D. D. Præſes in Hygiene cap. 9. & in diſp. de Longævitate ex motu corporis*, ita etiam eadem utilitas ex hoc motu congruo Principibus accedit: hinc recte judicat *B. Spenerus* im Thätigen Chriſtenth. *Domin. I. Trinit. p. 82. 83.* Es iſt natürlicher weiſe unmüglich anders, als daß diejenigen müſſen kräncklicher ſeyn, die ſich ſtattlich tractirn, dann ſo wohl die Ubermaß (die bleibt aber nicht aus, dann wo man ſolche delicate Biſſen vor ſich hat, wird der appetit gereitzet, mehr zu eſſen, als uns gut iſt) als auch die Mänge der Speiſen beſchwehren den Leib, und entſtehen daraus viele cruditäten, hieraus Kranckheiten, und endlich ein ehender Tod, daß man wohl ſagen mag, wie etwa viele von armen Leuten, die meiſtens mit Waſſer und Brodt müſſen vor lieb nehmen, und deſſen faſt nicht genug, aufs wenigſte keinen Uberfluß haben, dabey fleißig arbeiten müſſen, würcklich das Ziel erreichen, welches ihnen von GOtt geſetzet iſt, und die Natur hat erreichen können: alſo ſeyn unter den Reichen nicht ſo viele, die es erreichen, indem ſie mit ihren allzu niedlichen Leben mit Uberfluß, mit fremden ungeſunden, und nur den appetit reitzenden Speiſen die Natur überladen; weil ſie dann auch keine rechte Bewegung dabey haben, als die da mäßig ſind, und ſich zu der Arbeit gut deuchten, ſo erliegt die Natur vor der Zeit, und ſterben ſie alſo vor ihrem beſtiṁten Ziel: quare etiam recte *Hippocrates* eloquitur *Lib. I. de Diæta: homo, qui bibit & comedit, ſanus eſſe nequit, niſi etiam laboret*: motus enim & exercitatio *conveniens* corporis *animum*, aliis *curis* & arduis regiminis occupationibus *delaſſatum*, *reficit*, copioſius ingeſtas *impuritates* ſufficienter & tempeſtive ad *excretionem* diſponit, bonam ſanguinis *craſin & conſiſtentiam* conſervare adjuvat, totam *maſſam* ſanguinis in juſta *progreſſione & diſtributione* ſublevat, concoctionis, *ſanguificationis & nutritionis* negotium *facilitat*, partes *ſolidas* abſtergit & *mundificat*, nimios & *ſuperfluos* humores *imminuit*, variaque alia commoda, *ſanitati* & vitæ *proficua*, affert:

affert: hinc cum *Virgilio* eloquimur: *mobilitate viget, vires acquirit eundo:* commendandus modo eſt congruus *modus* quoad corporis agitationem, in quantum cuilibet *ſubjecto* quadrat: *Ramazzini l. c. c. 6. p. 736.* dicit: *corporis exercitatio pro ſanitatis ſtudio, ſi ulli alii neceſſaria eſt maxime Principibus, quibus ob lautiores cibos & multi nutrimenti neceſſe foret, ut ita dicam, cibos a laboribus ſuperari; Princeps itaque, cui cara ſit valetudo, non minus cogitet de cibo quotidie ſumendo, quam de quotidiana exercitatione.* Inter alias *ſpecies* motus corporis præcipue *modica* obambulatio proficit: quare *idem* author eloquitur: *varia ſunt exercitationum genera; illud tamen exercitium præferendum, quod a principio intrinſeco ortum ducit;* (intelligit motum corporis voluntarium) *laudatur deambulatio matutina ante cibum, ſub diu magis, quam ſub tecto, cœlo tamen ſereno, nec a ventis perflato, ſive veſpertina ante cœnam: labores cibos præcedant, ajebat Hippocrates:* in *omni* tamen corporis exercitatione ſollicite *exceſſus* & magna *exæſtuatio* vitetur: ad ejusmodi commotiones corporis pertinet *Sphæromachia;* ſicut inter antiquiſſimas gentes Principes *pilæ exercitio* & luſui operam dederunt, *vid. Joubertus in Opp. Part. 2. p. 212.* in quo tamen exercitio *moderamen* ſervari debet; huc pertinet *Menſa tudicularis,* ſive *Billard,* aut exercitia quædam *mechanica;* qualia nonnunquam *peculiari animi* applicatione & delectatione Principes adminiſtrant; hiſce commotionibus corporis annumerari poteſt *temperata venatio* (ab omni impetu & præcipiti ac forti equitatione aliena,) quam non modo Medici, velut *Langius in Ep. Medic.* ſed & celebris ille JCtus *Wagenſeil* von Erziehung eines Printzen ꝛc. *p. 246,* commendant; accedunt *moderatæ equitationes, vecturæ;* hinc *Celſus lib. 3. c. 1.* dicit: *ſanum & bene valentem hominem modo navigare, modo venari debere,* ſuperant ferme omnes reliquas ſpecies commotionum *peregrinationes* in loca *ſalubria,* ſub quibus *animus* reficitur,

&

& variæ *aliæ* motus corporis *ſpecies* intercedunt: Ejusmodi exercitationes corporis vero ordinentur pro *ſpecialiſſima virium & naturarum* ratione; hinc *diverſa* illarum ſpecies diverſam *utilitatem* habent: modica *equitatio* v. g. *hypochondriacis & difficulter* hæmorrhoidariis, in *primis viis* incommoda patientibus, *hepate & ſplene* afflictis, *induratione* pulmonum & *ſpiſſo* ſanguine laborantibus &c. eximie proficit: *modica* corporis commotio *præſervat* a *ſpaſmis*, aut hoſce ita diſponit, ne *acerbius* affligant: valde *calculoſis*, *corrupte* hæmorrhoidariis, podagricis impetuoſa *equitatio minus* quam lenis, aut *vectura & obambulatio* proficit, quid quod *ſtrenua*, continua & immoderata equitatio ad *calculum* diſponit, vias *genitales* offendit & negotium *generationis* impedit, dum *partes genitales* debilitat: habenda itaque erit *ratio* & congrua relatio cum motu corporis, quoad *modum*, *ordinem*, *vires*, *temperamenta*, *gradum*, *ſpeciem*, *tempus & conſtantiam*, ne nimia, *incongrua* & nimis diuturna corporis exercitatione, ſanitas & vita magis lædantur & turbentur, quam adjuventur & promoveantur: hinc moderata & *ſufficiens Quies* Principibus perquam neceſſaria eſt & utilis: *Æſtivo* tempore motus & *exercitationes* corporis ſint *leniores* & temperatiores; *autumnali* vero & hyberno paulo *efficaciores*, attamen cum *relativo* moderamine; nam *illo* humores *fluidiores* & *ſubtiliores facilius* moventur, promoventur & emoventur: *contrarium* contingit ſub *frigidiori* aura: ergo anni tempore *frigidiori congruo* modo *augendi* ſunt motus, ut *neceſſariæ* functiones, ſanitati & vitæ inſervientes, prompte & *ſufficienter* procedant: motus *veloces*, ſive per vecturam, ſive per equitationem, quos amant Principes, intenſius flante *orientali*, aut *ſeptentrionali* vento, *inſalubres* ſunt, quoniam ſub *fortiori* commotione corporis & ſanguinis *frigidior* aër *inſpiratus*, graves & *periculoſas* alterationes in *capite & pectore* cauſatur, tanto magis ſi antea *major* quantitas potulenti *ſpirituoſi* ingeſta fuit,

 quod

quod tanto *fortius* ſanguinem *impellere*, aut inteſtino *orgaſtico* motu afficere adjuvat: *fortiores* commotiones poſt *prandium & cœnam* nocent; quando vero quædam individua *craſſiori* ſanguine prædita ſunt, tunc *moderata* commotio, *poſt ingeſtum* cibum, inſtituta, concoctionem hoc reſpectu *facilitat*, dum *liberum* progreſſum ſanguinis per *hypochondria*, adeoque etiam per *expanſum* ventriculum adjuvat; *motum* hujus eo ipſo allevat & *calorem* naturalem, ad *concoctionem* perquam neceſſarium, mediocriter auget: *nimia Quies*, aut vita *ſedentaria* Principibus perquam nocet, hosque ad hemiplecticos, apoplecticos, paralyticos, ſuffocativos, aſthmaticos, vertiginoſos, hypochondriacos, podagricos, nephriticos, colicos, anomalos hæmorrhoidales, affectus, obſtructiones hepatis, ſplenis, plurimarum ſalutarium excretionum &c. præparat: hiſce motuum ſpeciebus ſi corpus *congrue* exercet *ſaltatione opus haud* habent, quæ alias *ſuperfluum* motum conſtituet: Si etiam *multæ* prædictorum motuum ſpecies uno temporis & diei tractu ſuſcipiuntur, facile cum *mobili* vitæ genere *exceſſus*, aut *ſuperfluus* & præjudicioſus uſus ſuſcipitur: denique etiam *crebra* & moderata corporis exercitatio nimiæ *obeſitati* etiam reſiſtit.

§. X.

Ordo porro ac *modus* Principibus commendandus eſt quoad *Somnum & Vigilias*; *ſufficienti* Somno *animum & corpus* reficere debent Principes: hinc veritati conſonum eſt *Æginetæ* effatum *de re med. lib. 1. c. 97. Si quis recte ſomno indulſerit, multa ſibi vendicat emolumenta, bonam ſcilicet digeſtionem, dolorum mitigationem, laſſationis ſolamen, animi refectionem, ægritudinum oblivionem, tabidi corporis ſaginationem, animi confortationem & mentis clarificationem*: graves & ardui *animi* labores, quos *per diem* Principes exercent, *multiplices* mentis occupationes, crebri animi *affectus*, qui intercurrunt, *quietem* talem convenientem animi *abſolute*

po-

poſtulant: etenim licet multorum Principum animus ſit *heroicus*, valde *alacris*, fortis & activus, tamen *vigor* & vires animi certos habent *limites*, adeoque *enervari* poſſunt; ſi itaque magna *delaſſatio* frequentius recurrit, non modo *animus* ſuccumbit, ſed & *œconomia* vitæ compatitur & offenditur; quo *activior* eſt *animus*, quo *gravior* & impetuoſior, imo *operoſior* eſt *labor* animi, eo magis *ſufficienti* quiete opus eſt: talis *requies* animi eſt Somnus: *Sanitati* itaque Principum admodum confert, ut *ſufficienti* ſomno reficiantur, quo *ſeptem* horæ communiter quadrant, licet aliquando una alterave horula, ob *majorem* vel minorem *præviam* delaſſationem animi, addi queat: quando vero in *Somno & vigiliis modus exceditur, malum* eſt, dixit *Hipp. S. 2. aph. 3. & 7. aph. 71.* quid? quod ſomnus *immodicus animo & corpori* obeſt, conſentiente *Platone vid. Cæl. Rhodig. Lect. antiqv. Lib. 30. c. 9.* ſub Somno *convenienti* natura iterum ſufficientes *vires* colligit, quo poſtea & *vitaliter & naturaliter*, *animus* vero *moraliter* legitime operari queat; ſub ſomno *plurimæ* quidem excretiones *ordinariæ* acquieſcunt; ut *Zac. Luſit. Med. Princ. Hiſt. Lib. 7. hiſt. 77. p. 320. Rhaſes Lib. 3. aphoriſm. Mœbius in inſtit. p. 117. Wedelius in Phyſiol. Sect. 4. c. 14.* teſtantur, remanente *tranſpiratione* inſenſibili nunc *leniori*, nunc *auctiori*, interim præparationes, depurationes humorum, ſecretiones, ſanguificatio, nutritio paulo vegetius ſuccedunt, ut inde ſanitati & vitæ ſub ſomno varia *commoda* accedant: *vid. Franckenau Satyr. Med. XVIII. §. 7.* quod Somnus *ſanguinis* motum *tranquilliorem* reddat & *ſitim levet; §. 8.* quod *concoctionem* facilitet, quod chyli diſtributionem adjuvet §. *12.* quod *ſanguinis* elaborationi adjumento ſit §. *13.* quod facultatem *animalem* reſtauret §. *16.* quod animum recreet §. *19.* quod *labores* ſoletur §. *22.* hinc Somnum nominat *Syneſes de Inſomniis p. 136.* Medicinam, aut *Medicum: Senibus* paulo *longior* concedendus eſt ſomnus; quicunque *pleno*

& *pingui* utuntur victu, robuſto & *bene concoquente* pollens ventriculo, in humorum, præcipue *ſanguinis*, *abundantiam* colligendam inclinant, difficili reliquarum *evacuationum* ſucceſſu laborant, *torpido* humorum progreſſu præditi ſunt; illi *diuturnum* ſomnum capeſſere non debent: & *nimius* & *exiguus* ſomnus *animo* & *corpori* multa affert damna; quod erudite & plene demonſtrat *Franckenau l.c.* propterea non *nimium* Vigiliis indulgendum eſt, quæ ſuo *exceſſu* viciſſim *animo & corpori* multa *damna* conciliant. Multum etiam ſanitati confert *ordo* & obſervatio *juſti temporis* quando *ordinarie* Somnus capeſſendus; a *Deo* itaque & *natura* nox deſtinata eſt *ſomno*; ita *Syrac. XL. 5.* de tempore *quietis nocturno* ſermo occurrit, wann einer zu Nachts ſchlaffen ſoll, *1 Theſſ. V, 7. qui dormiunt noctu dormiunt: & Jobus XVII, 12.* de *permutatione* diei & noctis *minus* naturali & *ordinata* loquitur: tota *natura nocte* appropinquante ad *quietem* ſe componit & animalia, niſi plane crudelia & rapacia fuerint, ordinem hunc exacte obſervant, exceptis etiam *illis* quæ ſingulari modo lucem fugiunt & homini *ordinato* per *naturam* exoſa ſunt: ob id *noctu* almus Creator *luminis* auxilium ſubduxit, quo *minus operas* peragere & cum creaturis ac *viſibilibus* objectis condigne procedere queamus; *omnis ferme* creatura gaudet de appropinquante *aurora* exceptis prædictis animalibus & per paucis aliis ſubjectis: *diem* quilibet *amat*, per *naturalem* propenſionem, noctem vero *averſatur*; *diurnis* horis præcipue *matutinis* natura magis *vegeta*, alacris, propenſa eſt, veſpertinis & *nocturnis* viciſſim magis *torpida* & coacta: *per diem* ſalutares *excretiones*, ſanitatem & vitam ſublevantes, ſuccedunt, *noctu* vero *præparationes* ad diem conſequentem ſuccedunt; quicunque itaque diem & noctem *confundunt* & turbant, hi *ordinem* naturæ *pervertunt*; diurnis horis *aëris conditio* plus *favet ſanitati* & *vitæ* naturali, *evidenti* teſtimonio quod homines *die* ad *vigilias*, *Nocte* ad *ſomnum*:

*mnum*

*mnum* uti debeant; hinc nocturnis horis *pori* & fibræ magis *obrigeſcunt*, *diurnis aperiuntur* & relaxantur: neque *Conſuetudo* hic præſervat & tuetur naturas hominum, ſiquidem & ipſi Principes ſub *hoc naturæ* Jure ſtant, dum ordinem *liberum naturalem* ſine detrimento *ſanitatis* invertere non poſſunt: nervoſe de hac circumſtantia differit *Ramazzini l.c. cap. 7. p. 742. Si in rerum naturalium uſu ullus error a Principibus committitur (nocivum eſt) maxime in ſomno & vigilia: utplurimum enim dormiunt Principes, cum totus mundus vigilat, ad opera intentus, vigilant autem, cum non ſolum homines, ſed cuncta animalia in terris & piſces quoque in mari ſomno indulgent: ex hac regula inverſa, nocte vigilandi & die ſomnum captandi, quæ nullam proportionem habet cum naturæ legibus, num quicquam boni inferri poſſit, iisdem Principibus judicandum relinquo: ſatis enim liquet naturali ordine noctem quieti & ſomno deſtinatam eſſe, diem vero vigiliis & operibus dum volumus ſomnum captare, lucem, quantum poſſumus arceamus; lux enim ex ſui natura ſpiritus ad ſenſus externos allicit & vigilias infert, tenebræ ſomnum conciliant, qui ſpiritus ad interiora prolectat:* huc pertinet effatum *Hippocratis in Libr. Prognoſt. noctu dormiendum, interdiu vigilandum eſt:* & judicium *Pauli Æginetæ lib. 1. nocturni ſomni omnium ſunt præſtantiſſimi, ſiquidem nox naturali humiditate & quiete ſua animum in ſomnum deducens, concoctionem omnibus modis abſolvit*: quando itaque nonnulli Principes *multas* diei, imprimis præcipuas *matutinas* horas ſomno conſumunt, tunc ſanitati magis *præjudicant, quam conſulunt. Plinius lib. 7. c. 2.* certæ cujusdam nationis longævitatem huic cauſæ tribuit, quod nocturno tantum fruatur ſomno: *Jœpſerus in ma-*

*manud. ad vit. long. P. 1. c. 10. p. 103.* aſſerit: *ut verbo dicam, ſomnum nocturnum, utpote omnis boni authorem, ſuadeo, diurnum cuicunque ætati, excepta infantili, diſſuadeo: ſi quis tamen inſomnem tranſegerit noctem, matutino aptius dormiendi tempus, in tertiam usque diei partem ſe extendens, non habet:* nec pluribus teſtimoniis opus eſt: *natura* non indiget *teſtibus; Galenus in Comment. Lib. Prognoſt.* eloquitur: *temporibus Hippocratis non aliud fuit ex natura* (quam noctu dormire & interdiu vigilare) *aliud ex conſuetudine; nunc vero divites e contrario agunt, dum in quibusdam aliis, tum ſomno, interdiu dormientes, noctu vigilantes:* Hæc violatio *ordinis* naturæ in *conſenſum* rapit *confuſionem* cum diæta & conſueto *prandii* & *cœnæ* tempore; quando ex ordine *naturali* plurimi *cœnæ* adſident, multi Principum *prandio* indulgent; & hæc *ataxia* ſanitati *præjudicioſa* eſt, ſiquidem functiones *animales* & *naturales* valde pervertuntur: (*conf. Eccleſ. X. 17. bene tibi, terra, ſi Principes tui in tempore comedunt*) etenim quando natura *efficaci* applicatione *evacuationis* functioni inhærere deberet, videlicet horis *matutinis*, tunc illæ ob ſomnum *ceſſant;* quando ſalubres *præparatorii* & *ſecretorii* actus *ſuccedere* deberent, videlicet *nocturno* tempore, tunc *inverſo* ordine *evacuationes* aut procedunt, aut ad *difficilem* ſucceſſum moliuntur; inde œconomia *vitalis* valde *pervertitur* & *liber* evacuationum proceſſus *confunditur*, imo ſufflaminatur: nam natura *citra* læſionem non obſequium præſtat *alienæ* conſuetudini; aut enim natura & ſanitas *turbatur*, aut hæc Conſuetudo eſt omittenda: eximium ſanitatis *protectorium* naturale eſt ordo, hunc qui violat, multis *morbis* & *prœmaturæ* morti ſe exponit: inde *tot ægritudines* Palatia Principum intrant; talem *aulicam* conſuetudinem & vitam vix æneus & marmoreus homo perferret! hinc innumeri ferme morbi *primas vias* obſidentes

Prin-

Principes affligunt: & ſi *ſenſibiles* Principiſſæ *ſimilem* conſuetudinem ſervant, ſuam naturam brevi enervant, inde *Menſium* ataxiæ, *abortus* conamina, *difficultas* concipiendi, partus *debilium* infantum, *puerperia* morboſa, *hectica*, febres *lentæ*, atrophia, tabes, pathemata intricata hyſterica, obſtructiones viſcerum, aſthmata & præmatura mors: quam ob rem *ordinem* in aſſumendo *cibo* & *potu* & capeſſendo *ſomno eximie* & *abſolute* ad *ſanitatem* neceſſarium eſſe, indicamus: ita *Manuel Imperator Conſtantinopolitanus de educatione Regis c. 30. p. 37.* dixit: *magna vis ordinis eſt & Plato Lib. 6. de leg. ex ordine cuncta bona; inordinata etiam ordinata diſſipant & Sarisberienſis Epiſcopus epiſt. 58. rectum quæ deſerunt ordinem, aut nunquam, aut raro lætos exitus ſortiuntur*: hinc ſanitati proſpicientes Principes *decima* veſpertina ad *ſomnum* capeſſendum ſe componant & ſeptima matutina ad *vigilias* revertantur.

§. XI.

Salutares porro *Egeſtiones* reſpondere debent *ingeſtis*; nam quia Principes utplurimum *magnam* copiam victus & potus ingerunt, hinc evacuationes *juſtam* proportionem, ſanitati proficuam, ſervare debent; ex *Diæta* Principum, *ſtrictiori* ſenſu accepta, in quantum *cibum* & *potum* attinet, multæ *laudabiles* & *illaudabiles* ingeruntur, imo congeruntur & *coacervantur* materiæ: hæ *abſolute* educendæ ſunt, quoniam etiam *pauca* quantitate *inimicæ* exiſtunt; illæ *majori* copia collectæ *inutiles*, *oneroſæ* & tandem *pernicioſæ* evadunt. Ingeruntur vero ſub Diæta Principum multæ & ſubtiles ſubſtantiæ *ſulphureæ* & *ſalinæ*, quæ *ſanguinem* reddunt *orgaſticum* & *acrem*, quæ *lympham* reddunt nimis *tenuem*, pinguem & *ſalſam*, quæ *ſerum acre* augent, magisque inimicum efficiunt: quæ *bilem* accumulant & illius *acrimoniam* exaltant, inde *multiplicia* poſthac

ſani-

ſanitatis *impedimenta* & detrimenta originem trahere ſolent: proinde ex frequenti *ſaturatione*, ventriculi *oppletione*, exceſſu & errore diætetico, aliaque *ordinis* in *Diæta* obſervandi *læſione* multæ generantur *cruditates*: ſub intenſiori & frequentiori *exercitatione* corporis & conjuncta commotione *humorum*, non modo *major ſeri* acrioris copia generatur, ſed & *tota* ſeroſa colluvies magis exaltatur, rareſit & *acrior*, imo *pernicioſior* redditur: ex frequenti *indignandi* occaſione anſa ſubminiſtratur copioſiori *bilis* affluxioni intra *inteſtina* & *chyli* imo *primarum viarum* inquinationi: haſce ob rationes præcipue *excretiones alvi* conſtanter & ſufficienter indies ſuccedere debent, quæ propterea auxiliis *diæteticis* adjuvandæ, neque *incongruis* ſubſtantiis & eſculentis *turbandæ*, impediendæ aut opprimendæ ſunt; hinc *acida*, *auſtera*, *craſſa*, *viſcida*, *infrigidantia* ſubjecta vitanda ſunt: quin rectius *liquida*, temperata gelatinoſa & *lenientia* aſſumere convenit; *promovetur* etiam nonnunquam hæc excretio alvina *lenioribus* laxantibus, rhabarbarinis, tamarindinatis, mannatis, paſſulis & prunis laxativis, magneſia alba, pilulis Stahlianis, cum paucis extr. panchymag. Crollii granis mixtis, aqua Selterana, vinis medicatis per epicraſin efficacibus & cum tali aqua attemperatis; talia adminicula diſcernenda ſunt, pro diverſitate *impuritatum* educendarum, in quantum aut *bilioſæ*, aut *acidæ*, aut *mucidæ* prædominium tenent: *potentiores* purgationes omittantur: quicunque Principes *hypochondriacis*, *colicis*, *hæmorrhoidalibus*, *podagricis*, *nephriticis*, *iſchiadicis*, *flatulentis* cruciatibus ſubjecti ſunt, illis *clyſterum* emollientium leniterque *roborantium* uſus proficuus eſt: proinde nunquam diutius *ſiccitati*, *ſegnitiei*, & *adſtrictioni* alvi indulgeatur, ſed ſine mora illa *corrigatur*, quoniam cito & facile *graviores* inde afflictiones irruunt: *plurimum* juvat, ſi *alvus* per *diætetica lenientia*, maxime commendata *juſcula* temperata emolliatur & promoveatur, ſervata

illa

illa cautela, ut *illo tempore*, quo medico ſcopo & uſu *alvina* excretio *facilitanda*, cura per *abſtinentiam* in *ſubſidium* ducatur, ne videlicet *præter paucos* & non niſi *molles* cibos, velut carnes juniorum animalium, alii *craſſi* cibi aut vina, alia potulenta & ſubjecta *acida* & *auſtera* ingerantur: ita eveniet, ut *privativa* & *poſitiva* tali opitulatione *citius* melius & temperatius *naturali* methodo per *diætetica* alvus in *ordinem* ducatur & *artificialibus* ac *medicamentoſis* ſubjectis opus haud ſit. Deinde cavendum eſt, ne Principes facile *Vomitoriis* afficiantur, niſi ad *repentina* pericula avertenda *ſingularis* ratio & neceſſitas urgeat & requirat: interim *ſenſibilis* Principum *natura* non facile tam *rigoroſa* & vehementi excretione tractanda eſt: ſi vero viciſſim aliquando ob *nimiam* oppletionem *ventriculi* conſultum videatur, quo *leni* vomitione *ſuperflua* ingeſta rejiciantur, tunc vel potu *aquæ calidæ*, vel *decoctio avenæ* non *ſalito* ſed potius cum *oleo olivarum* aut *eſculenta pinguedine* mixto illa *matura* ventriculi inverſio provocanda eſt: abſtinendo ne *talis ſpecies* evacuationis *frequentius* repetatur, ſed *potius ordinem conſuetum* obſervando & promovendo, quo natura in *legitima* functionum ſuarum adminiſtratione perennet.

§. XII.

Præterea ſenſibilis *tranſpiratio* & nonnunquam *moderata* diapnoes perquam utilis eſt Principibus, quæ ſub congruo *aëris temperati* uſu & convenienti *corporis commotione* facile acquiritur, quo vel ipſa *humorum* maſſa, ſubtilioribus *ſulphureis* principiis abundans, inclinat: valde viciſſim nocet *ſenſibili*, efficaci & repentina refrigeratione hanc excretionem impedire, unde multiplices *alterationes* morboſæ oriuntur, quas fuſius commemoravit *Celeb. D. D. Stahlius in diſp. de Tranſpiratione impedita*; inter alios tales morbos eminent *catharrhi* capitis, fixi & ſalſi, *rhevmatiſmi*, branchi, *tuſſes*, *ſpaſmi*, arthriti-

ci, rhevmatico-arthritici, podagrici, colici affectus, alvi moleſti *fluxus*, *febres* catarrhales, anomalæ & certis temporibus etiam *irregulares intermittentes*, urinæ vitia, &c. *nimiæ ſudationes*, præcipue per vehementes & *fortes motus corporis* excitatæ, Principibus ſunt *pernicioſæ*, imo interdum *lethiferæ*, ſi eum *ſubitaneo* in & externo refrigerio repente ſupprimuntur, unde hæmorrhagiæ prodigæ, inflammationes internæ, pathemata hemiplectica, apoplectica, ſuffocativa, ſpaſtico-convulſiva, febres intenſiſſimæ oriuntur: & hanc moderatam ac conſtantem tranſpirationem præcipue *nocturnis* horis & ſub *ſomno* ſervare & obſervare convenit, quoniam aura *nocturna* illam facile *impedit*, inſuperque ſub reliquis *præparationibus* & *ſecretionibus*, nocturnis præcipue horis procedentibus, *ſerum ſubtile* admodum agitatur, quod propterea hoc tempore efficaciori evacuatione indiget: & ita non neceſſe eſt ad tuendam Principum ſanitatem *poſitiva diaphoretica* ordinare, quoniam horum vices *quotidianus* vini & *lautiſſimorum* ciborum uſus ſupplet; quo etiam *decocta calida* herbæ Thee, fabarum Coffee & Choccoladæ, modo *dilutiora*, nec largiter *ſaturata* ſint, conferunt: *Urinæ* promotio per eadem ſubſidia ſuccedit, quo præcipue *liquida calida* aquoſa conducunt: interea ſub diæta herbæ petroſelini, naſturtii hortenſis & aquatici, S. Sinap. cepæ, rad. cichorei, apii latifolii ſ. Seleri, petroſelini aliaque hanc excretionem facilitant: *Expectoratio* promptius & liberius ſuccedit, ſi regimen quoad *aëris juſtum* uſum obſervatur & hactenus laudata conſilia adhibentur, quam eandem *modicus fumitabaci* uſus, (qui etiam alvinam excretionem & placidam *diaphoreſin* promovet) ſublevat & adjuvat, quo naturæ *calidiores* paulo parcius & moderatius, humidiores & *pituitoſæ* paulo *liberalius* uti poſſunt: *Nares* frequenter ad *profluvia* & ſtillicidia *irritare*, *haud* proficuum eſt, unde *copioſus* & conſtans pulve-

verum ſic dictorum *ſternutatoriorum* uſus potius nocet; ſi vero interdum nares *aridiores*, adeoque moleſtiores & caput ob *oppletionem humoroſam* gravatum fuerint, tunc *modicus* uſus ejusmodi pulvilli temperati ex herbis etiam *nervinis* & pauxillo *flor. lil. convall.* parati, *omiſſis* volatilibus & ſulphure *vaporoſo* caput moleſtantibus, conducit; modo etiam ſæpe laudatum *regimen* congruum quoad *aëris* uſum obſervetur: quo porro in toto corpore ſubſtantiæ ſeroſæ, ſubtiles, acres ad *placidiorem* excretionem diſponantur, convenit juſcula *gelatinoſa temperata*, non valde pinguia, *avenacea*, *hordeacea* & ſimilia ordinare, quo pariter conferunt hordeum *excorticatum* coctum, *oryza* cocta, decoctum ex Scorzon. liquirit. ſarſapar. herb. chærefol. ſpinachiæ, paſſul. min factum: *Lactis* uſus ſit valde *parcus*, nam diæta *vinoſa*, & multiplicibus ſaporibus referta, colluvies *bilis* in inteſtinis frequens non bene lactis uſum tolerant; qui tanto minus proficit in ſubjectis *corpulentioribus* & *nimia ſanguinis* quantitate oneratis: Quoniam etiam non raro Principes aut *moleſta* & *præjudicioſa* abundantia ſanguinis, aut ſanguis in *orgaſticas* commotiones valde proclivis onerat, ita ex variis aliis *ſpecialibus* cauſis, videlicet ex lauto victu & potu, ex crebra & ſtrenua *equitatione*, ex vegetiori *veneris* uſu, ex *hæreditaria* diſpoſitione, ex uſu *liberaliori* vinorum *generoſorum*, præcipue *Hungarici*, nonnunquam *hæmorrhoidale* negotium experiuntur, quod deinde in ejusmodi Perſonis valde *circumſpecte* & *perite* tractari & dirigi debet, quia in iisdem facilius in pravum *anomalum* ſtatum degenerat; quare *accurata* Diæta Principibus *hæmorrhoidariis* commendanda eſt & talis præcipue, quæ functiones in *primis regionibus* in libero progreſſu conſervat, alvum *apertam* tenet & reliquo motui humorum legitimo nihil præjudicat: quo loco *D. D. Præſidis tr. de Hæmorrhoidibus & quidem diſſert. de Hæmorrhoidariorum regimine & Diæta* commendamus: præcipue conveniet hoſce

F 2 motus

motus *hæmorrhoidales* neque *impellere*, neque *repellere*, ſed ab omni latere in *moderato* gradu conſervare; paucis hæc allegare placuit, quia proceſſus hæmorrhoidalis nimis *diffuſus* eſt: illud interim ex vero aſſeveramus, quod, qui negotium *hæmorrhoidale* non *exacte* perſpectum habet, facile pretioſam Principum ſanitatem graviſſime *offendere* & in perniciosum ſtatum *conjicere* poterit; hinc ipſi Principes, in tali affectu conſtituti, non *ſingulorum* conſiliis ſanitatis ſuæ directionem committant, quoniam in hoc affectu aliquando *unus tantum* pervertere poteſt, quod *decem* in *ordinem* ducere haud poſſunt: Quicunque Principes ob hanc ſanguinis *abundantiam* urgentem, *artificialibus* ejus imminutionibus adſueti ſunt, illi hoc auxilium nunquam *differant* aut retardent, ſed congruo tempore admittant, ne inopinato *periculoſus*, aut ad minimum *intricatus*, *gravis* & *pertinax* morbus irruat: Quando Principes *annuis* ſudationibus extraordinariis, ſive *vernalibus*, ſive *autumnalibus* adſueti ſunt, tunc & illas ſollicite obſervent, *congruo regimine* tractent & ut leniter, *moderate* & ſufficienter decurrant, operam dent; de quali tractatione uberius diſſeruit *D. D. Præſes in diſp. de ſudoribus annuis*; ſed cum hæc meditatio ex parte ad *præſervatoriam* methodum pertineat, ita forte DEUS dabit occaſionem, quo alio tempore thema æque utile & celebre *de Præſervandis morbis Principum* ventiletur: ſuffecerint interim hæ annotationes circa *evacuationum* tractationem, quibus Principum Sanitas conſervanda & confirmanda eſt.

§. XIII.

Et quid magis optandum eſſet, quam ut Principibus omnia ad *bona vota* ſuccederent, quo ipſi perpetua *tranquillitate* animi gauderent: quantum enim animi *continentia ſanitati* & *longævitati* conferat, ſpecialis *diſp. D. D. Præſidis de Longævitate ex animi moderamine* teſtatur & demonſtrat: aſt quam *frequentes* ſunt occaſiones, quibus *affectus* Principum *moventur*, unde corporis & *ſanitatis*

*tatis* œconomia ſemper *alteratur?* quare & ipſi Principes magna cura huic *tranquillitati* animi ſtudere debent; qui vero frequentius a Principum mandatis pendent, caveant, ne illorum affectus *excitent*; hinc res *gratæ illis* temporibus ſunt recenſendæ & referende, quibus *adverſum* quid animum occupare videtur; & res *adverſæ* ad *tale* tempus differendæ ſunt, quo major *ſerenitas* in mente Principum coruſcat: imo res adverſæ non imprudenter aut *ominoſe* commemorari, ſed ſemper cum aliquo *linimento* temperatæ recenſeri debent: eximia enim ſemper habeatur cura & *æſtimatio* ſanitatis Principis: & dum illuſtres tales Perſonæ *frequentioribus* talibus occaſionibus expoſitæ ſunt, quibus animus valde *commoveri* poteſt, ita *ipſimet* ſuæ ſanitatis ſollicitam curam ineant, & res adverſas *non tanti* æſtiment, quo mox illorum animus inflammetur, ſed easdem decidendas aliquandiu differant, donec *primus* affectus quantisper *intepuit*, & mox animus aliis *gratis* negotiis occupetur: ubique vero ſub omni *impetu* affectus irruentis placidæ *quieti* animi inhæreant, omnesque nervos intendant, ut aliquandiu *rationes* urgentes non attendant, *propriam* ſuam ſanitatem *aliis* accidentibus longe *præferentes*: & quoniam Principes imprimis in principem affectum *iracundiam* & *indignationem* valde inclinant, qui tanto *acerbius* tales Perſonas invadere & alterare ſolet, ita multum ad Sanitatis tutelam confert, quo hæc flamma *ſedulo* extinguatur & in ſuo *primo ardore* flagrante mitigetur, quo etiam multum *prudentes* medici conferre poſſunt: nihil ſane magis, citius & potentius ſanitati Principum inimicum eſt, quam *affectus animi*, qui quo ſæpius recurrit, facile tandem habitualis redditur, ut velut *incorrigibile* accidens evadat: quare iterum *primis* occaſionibus ſubveniendum & *reſiſtendum* eſt: male conſulitur ſanitati Principum, ſi ipſorum affectus magis accenditur; boni, prudentis & ingenui Conſiliatoris officium eſt, affectus in motu exiſtentes non incitare, ſed lenire & *demulcere*, ſingulaque in meliorem ſenſum & partem interpretari & convertere: Mitior ſane & gratioſus Principum eſt animus, qui prudentem & reverentiſſimam relationem non omnimode reſpuit, *nam pomum aureum in figuris argenti, eſt verbum dictum cum rationibus ſuis* Proverb. XXV. 11. & ta-

les etiam rationes deliniunt affectum accenſum: Magnum ſane medici a Principe deſiderant, ſi *animi quietem* ipſis commendant: ſed quia in *magno dignitatis* faſtigio conſtituti ſunt, ob id utique ab ipſis magna petenda ſunt, quæ præcipue proprias ipſorum perſonas, imo ſanitatem concernunt: quo major *Perſona*, eo major *affectus*, quo major affectus, eo major hujus eſt *efficacia* ad lædendam *ſanitatem*: quo magis quisquam *fidum* & *ingenuum* Conſiliatorem ſe præbere ſtudet, eo magis operam dat, quo nocivi affectus *leniantur* & *evitentur*: haud vero conſultum eſt, ut medici *tamdiu* expectent, donec *ſua arte* affectus *demulceant*; nam ſi eo usque affectuum poteſtas accrevit, ut *metuendam imminentem* aut actu *præſentem* alterationem ſanitatis *pharmacis* avertere *neceſſitas* requirat, tunc jam *altius* res devenit, quo ex parte conſilia ſua direxit, *Galenus libr. de cognoſc. & cur. animi morbis*; conſultius fuerit ſi ex *ethica* præcipue *divina* animus in neceſſariam & *ſalutarem* tranquillitatem convertatur, hiſce meditationibus adjungimus, quæ *Sidonius Apollinaris de Theodorico Gothorum Rege* recenſet, *quotiescunque cum aulæ ſuæ primoribus luderet: Cum ludendum eſt, regiam ſequeſtrat tantiſper gravitatem, in bonis jactibus tacet, in malis ridet, in neutris iraſcitur, in utrisque philoſophatur*; addit *Ramazzini l. c. cap. 14. p. 782. in fine ad omnes caſus ſe componat Princeps, ſciatque generoſi Principis eſſe agere & pati Fortia.* Animi *motibus* potentius afficientibus, *appetitum* & *uſum Veneris* annumeramus, cujus *moderatum* exercitium reliquos animi affectus *lenit* & mitigat, imo ipſum animum *reficit*, proinde *torporem* in vitali œconomia corrigit, motum ſanguinis *viviaciorem* reddit & *plenitudinem* humoris gelatinoſi quadantenus minuit: *ſtrenuum* & nimis frequens vero illius exercitium *enervat* vires, delaſſat *animum*, debilitat *corpus*, turbat *functiones* ad *corporis* œconomiam ſpectantes & infirmam ac *debilem* reddit proſapiam; quam ob rem in hoc affectu amoris *moderamini* ſtudere convenit. *Conſuetudinis* rationem hactenus per *totam* hanc tractationem habuimus, quare ſeorſim de illa tractare non neceſſarium eſſe ducimus: *Imaginationis* vis admodum *temperanda* eſt, ne morbis *provocandis* aut *exacerbandis* concurrat:

*vid.*

*vid. D. D. Præſ. diſſ. de Valetudinariis Imaginariis.* Speramus interim, fore ut regulæ hactenus traditæ *diæteticæ* utpote fundamentales, variis reſpectibus in vita Principum obſervandis aliquatenus quadrare & ſatisfacere queant, quomodo videlicet Principibus in *Regimine civili* aut *militari* aſſiduis & operoſis, nec non in *Senio* conſtitutis *ſalutaria* & neceſſaria *conſilia* ſubminiſtranda ſint; De *Tito Imperatore Suetonius in ejus vita c. 8.* refert, quod dixerit: *non oportere quenquam a ſermone Principis triſtem diſcedere:* Si itaque ingenuus Medicus non triſtis a Principe diſcedere debet, annuat hic *ſalutaribus* conſiliis medicis. Hæc ſunt quæ ſincera meditatione & in ratione, obſervatione & ſuffragiis fundatis conſiliis & monitis, modeſta, reverenti & demiſſa animi indole de Principum Sanitate tuenda proferre voluimus: optamus de reliquo cum *Ptolomæo rege. 3 Maccab. 7. v. 1. Principibus gaudium & ſanitatem: Jehova ſerva, Reges & Principes exaudiant nos Pſalm. 20. v. 10.* annuantque noſtris conſiliis: & ſi *Regibus ac Principibus juſta placent labra Prov. 16. v. 13.* ita divina benedictio hæc noſtra conſilia proſequatur, ut placeant Principibus, quo illorum exoptatiſſima Sanitas diutiſſime conſervetur: addat itaque vitam augeatque ſanitatem, animique robur Principibus DEUS, ſic poſt amplificationem gloriæ divinæ & gratiarum actionem devotiſſimam, pro præſtito ad hunc laborem auxilio, a nobis impetrabitur deſideratiſſimus præſentis inſtituti

# F I N I S.

* * *

GEliebter Hertzens-Freund, wenn ich die Wunder-Wege,
Die GOttes Hand Dich führt, bedachtſam überlege:
So weiß ich ſelbſten nicht, was ich gedencken ſoll,
Die Führung GOttes iſt gewiß recht Wunder-voll.
Wie muſten wir uns nicht, wer hätt es ſollen meinen?

Auf

Auf ſo vertraute Art ſo wunderlich vereinen,
Du hatteſt mich noch nicht, ich Dich noch nicht geſehn;
Und dennoch muſte es auf GOttes Winck geſchehn,
Daß wir uns Beyderſeits als Freunde und Bekandten
Mit einem Hertz und Sinn zugleich nach Halle wandten,
Allwo Dein groſſer Fleiß mich manches mahl ergetzt,
Und mein Gemüth dadurch zur Folge aufgehetzt.
Wenn Du ſo emſiglich bey Deinen Büchern ſaſſeſt,
Und alles andern Dings, ja aller Luſt vergaſſeſt,
Wenn Du mit fleißig ſeyn ſo manche ſchöne Nacht
In aller Einſamkeit gantz ſchlafloß hingebracht:
Und ja, **Geliebter Freund**! ſo haſtu es getroffen,
Den Fleißigen ſteht nur die Burg der Ehren offen,
So wird Dir durch den Fleiß die Crone aufgedrückt,
Die alle Müh belohnt, und Deinen Scheitel ſchmückt.
Und ſo muß dieſes auch recht wunderlich geſchehen,
Daß wir Dich unverhofft in Deiner Würde ſehen,
Und daß Dein Glück und Wohl, eh man es ſich verſieht,
Zu Deiner Freunde Luſt vollkommen herrlich blüht.
Mich, den die Schuldigkeit vor allen andern treibet,
Daß er aus Freundſchafft Dir getreue Wünſche ſchreibet,
Mich, ſag ich, hat Dein Glück ſo ungemein erfreut,
Daß ſich mein gantzes Wohl mit Deinem Wohl erneut.
Nun GOttes Wunder-Hand, ſo Dich bisher geführet,
Und Deinen Fleiß und Stand ſo wunderlich regieret,
Sey ferner über Dir, und ſchencke ſtete Kraft,
Daß auch Dein Fleiß hinfort noch vielen Nutzen ſchaft.

Dieſes ſchreibt zu geneigtem Andencken und
beſtändiger Freundſchaft des Hoch-Edlen
Hn. Doctorandi aufrichtiger Freund

JOHANNES FRIDERICI,
Elbinga Boruſſus Med. Doct.